LIBER
GRATIAE SPIRITVALIS VISIONVM ET REVELATIONVM BEATAE

Mecthildis virginis deuotiſsimæ, ad fideliũ inſtructionem.

Maria, quæ non

Optimam partem elegit ſibi



auferetur ab ea in æternum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

In cœnobio ſanctæ Mariæ Magdalenæ per monialiũ pœnitentium manus.

Venundatur in uico ſanctæ Mariæ formoſæ ad ſignum Spei

VENETIIS.

MDLVIII

Pervenit ad bibliothecam ... de Urbe

INCIPIT PROLOGVS IN LIbrum qui dicitur gratiæ ſpiritualis beatæ Mecthildis.

BEnignitas & humanitas ſaluatoris noſtri dei, qui humano generi per ſuam incarnationem tam miſericorditer apparuit: quotidie magis ac magis clareſcendo, etiam uſq; ad nos et in nobis, fines ſeculi deuenerũt: lar- 1. Cor. 10
gifluè dignatur demonſtrari. Igitur quanta deus in electis ſuis mirabilia operatus ſit: nullus ſermo humanus poterit explicare. Quantaq; dona in anima ipſum fideliter amante diffuderit: lingua non ualet promere, q̃; benignè, & q̃; mellifluè ſe illi exibeat: ſola fœliciter experiri meretur. Specialiter tamen in una anima, quæ ipſum toto corde dilexit, quanta dona effuderit: quantum paruitas noſtra præualet (deo iuuante) cupimus enarrare. Quæ innumera cœleſtium ſecretorũ myſteria, animæ conſpexit oculis. Sed præ paruitate qua ſe tam vilem reputabat: edicere nolebat, niſi quãtum ſui familiares eam cogebant. Et hæc ipſa quæ dicebat, partim ſubtrahebat: partim verò ad laudem dei ſed per obedientiam vix coacta dicebat. Illa ergo quæ ipſa nobis narrante didici-

mus, pro modulo noſtro in nomine Ieſu conſcribemus: ad laudem & gloriam ſummæ & venerandæ trinitatis. Vnde chariſsimi rogamus in chriſto, vt quiſquis hunc librum legerit, domino gratias referat pro omni gratia & bonis, quæ de ipſo fonte bonorum omnium in hanc animam, vel vnq̃; in aliquam creaturam profluxerunt. Si qua verò minus apertè, minuſuè literatoriè poſita inuenerit: hæc nobis quaſi vſum dictandi non habentibus in charitate ignoſcat. Quia (vt dicit beatus Auguſtinus) bonorum ingeniorum inſignis eſt indolis, in verbis verum amare, nõ verba. Liber ergo iſte licet totus de reuelationibus & viſionibus dici poſsit, et ferè in ſingulis lectionibus vtilitas, & hominum inſtructio valeat inueniri: tamen vt facilius in eo legere volentibus occurrat quod uolunt, in quinque partes diſtinguitur. In quarum prima ponuntur reuelationes, tam de tempore quã de ſanctis, in eorum feſtiuitatibus per circulum anni, & ſpecialiter de beata virgine Maria. In ſecunda parte, ponũtur quædam facta ad ipſam perſonam pertinentia, cui hæc demonſtrata ſunt, in quibus etiam non mediocris poterit legentium & audientium deuotio & charitas excitari. In tertia parte, inſtructiones tam ad dei laudem, quam ad hominum ſalutem pertinentes inſeruntur. In

quarta, ferè ſimilia ad hominum vtilitatem & conſolationem pertinentia ponuntur. In quinta, de animabus fidelium agitur: qualiter .ſ. ab ea viſæ ſunt, vel adiutæ. Omnes igitur quibus deus ſpiritum ſuæ charitatis infundit, charitatis .ſ. illius quæ omnia credit, omnia ſperat, omnia ſua facit, 1. Cor. 13 *& qui ad dei gratiam aſpirant: hunc librum ſpiritualis gratiæ deuota mente ſuſcipiant. Et ipſi omnia bona quæ in eo ſcripta, & à deo promiſſa ſunt, conſequi mereantur. Siquid uerò in eo inuenerint, quod ſcripturis non poßit teſtificari, cū non ſit contra euangelium et diuinam ſcripturam, dei commitant gratiæ, qui modo ſicut olim, cum uult, diligentibus ſe incerta & occulta ſapientiæ* Ps. 50 *et bonitatis ſuæ manifeſtat. Rogamus etiā omnes qui ipſum lecturi, uel audituri ſunt: ut aliquam laudem domino Ieſu Chriſto pro eadem fœlice perſona referant, uel ſaltem gratitudinem ad hoc habeant: quod deus ſeneſcentem mundum, & homines torpore totius boni inueteratos, talibus incitamentis dignatur renouare. Explicit prologus.*

De pueritia, ſtudio, ac tolerantia Mecthildis virginis.

FVit virgo quædam ab infantia à deo in benedictionibus præuenta, ita vt primò nata cum

uideretur iam ſpiritum exalare : eam preſbytero ſancto & iuſto viro tunc miſsam celebraturo, cū feſtinatione obtulerunt baptizandam. Qui cum eam baptizaſſet, ore prophetico dixit. Quid timetis? puella hæc nequaq; morietur, ſed ſancta et religioſa virgo erit : & deus multa miracula in ea operabitur, dieſq; uitæ ſuæ in ſenectute bona cō ſumabit. Quod autem baptiſmus eius ita acceleratus eſt, inde fuit, ſicut ipſe dominus Ieſus eidem poſtmodum reuelauit, vt abſq; mora, eius anima deo templum dedicaretur, eamq; ex utero totaliter inhabitando, ſua gratia poßideret. Cum uerò eſſet annorum ſeptem, mater eius die quadam cum infantula clauſtrum adijt, quod erat propè caſtrum, cui parentes eius præerant, in quo contra matris uoluntatem, cum magno gaudio remanſit, & per ſeipſam rogans ſorores ſingilatim, ut ſe in ſuum conſortiū aſſumerent, obtinuit. Nec poſtea minis, aut blanditijs parentum inde potuit amoueri, ſtatimq; miro modo cœpit in dei amore, & deuotione feruere, ſpirituſq; eius melliflua ſuauitate crebrius in deo exultare. Proficienſq; de die in diem, omnium uirtutum ſummam apprehendit, erat namq; miræ dulcedinis, magnæ humilitatis, multæ patientiæ, paupertatis amatrix, eximij feruoris & deuotionis, & in charitate dei et pro

ximi maximè proficiens. Omnibus ſe ipſam amabilem & ſeruilem exibebat. Zelo pietatis & cõpaſsionis ſuper tribulatos & temptatos mirabiliter mouebatur, eiſq; ſicut vera mater in omnibus ſolamen & auxilium miniſtrabat, ita, ut quicũq; ad eã acceſsiſſet, conſolatus rediret et inſtructus. Ab omnibus nimium amabatur, eiq; aſſociari quilibet affectabat, vt ex hoc multa impedimenta videretur habere. In his autem cœpit ei deus familiaris effici, etiam cum ualde iuuenis eſſet. Deniq; in omnibus tam copioſe eam deus ſua perfuderat gratia, non tantum ſpirituali et gratuita, ſed etiam naturali .ſ. ſcientia & intellectu et in uocis ſonoritate: vt in omnibus clauſtro perutilis haberetur, ac ſi deus in ea donorum ſuorum nihil fuiſſet oblitus. Inſuper benignus dominus flagella ſua ſic in ea continuabat, vt dolore capitis, et uitio lapilli ac nimio calore iecoris penè aſsiduè laboraret. Quæ omnia libentiſsimè & lætiſsimè ſuſcipiens, hoc ſolum infernalem pœnam reputabat, quod gratiæ dei melliflua dulcedine pro cordis ſui deſiderio frui magis ac magis nõ ualebat, nec unione illa fœlici, qua anima unus cum deo ſpiritus efficitur: dilecto ſuo pro viribus ſedulò poterat inhærere.

INCIPIT LIBER PRIMVS *gratiæ ſpiritualis viſionum, ac reuelationum beatæ Mecthildis virginis Monialis deuotiſſimæ.*

De quadruplici voce domini. Cap. I.

DOMINICA *ſecũda. aductus. dum cantaretur Miſſa, populus ſyon, in verbo illo introitus, auditam faciet dominus gloriam vocis ſuæ, deſyderabat ſcire quæ eſſet vox gloriæ domini. Et ait dominus. Hæc eſt vox gloriæ meæ. Quum anima ex amore magis quam timore pœnitens dolet de peccatis ſuis, à me audire meretur. Remituntur tibi peccata tua: va* Luc. 7.
de in pace. Statim enim vt homo de his quæ perpetrauit, dolet & pœnitet veraciter: omnia peccata ſibi plenè dimitto, & eum in gratiam meam, ac ſi nunquam peccauerit, ſuſcipio. Secundo. Vox gloriæ meæ eſt, quum anima per intimam orationem, aut contemplationem mihi vnita audit à me. Veni amica mea, oſtende mihi faciem tuam. Ter Cant. 2.
tio. Quum anima de corpore eſt egreſſura: à me dulciter ad requiẽ ſic inuitatur. Veni electa mea, & ponam in te thronum meũ: quia concupiui ſpe

tiem tuam. Quarto. In die iudicij, hæc erit vox gloriæ meæ, quùm omnes ab æterno electos, & ad regnum decoris & gloriæ vocatos, glorioſiſ-
Matth:25. ſimè conuocabo dicens. Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

Qualiter beata virgo Maria ſalutetur. Cap. II.

IN aduentu domini. Cum glorioſam virginem Mariã cuperet ſalutare: ſic à domino eſt edocta. Saluta, inquit, virgineum cor matris meæ in affluentia omnium bonorum, quibus hominibus perutile fuit. Et primo. Quod fuit puriſsimum, vnde prima omnium votum virginitatis emiſit. Secundo. Humillimum, quia humilitate ſua præcipua meruit de ſpiritu ſancto concipere. Tertio. Deuotiſsimum & deſyderãtiſsimum, quia ſuo deſyderio me ſibi intraxit. Quarto. Feruentiſsimũ in amore ad deum & proximum. Quinto. Conſeruantiſsimum, diligenter omnia conſeruans quæ in infantia, pueritia & iuuentute peregi. Sexto. Patientiſsimũ in mea paſsione, quæ maximè cor eius per iugem memoriam pertranſiuit. Septimo. Fideliſsimum, quia me vnicum ſuum pro mundi redemptione voluit immolari. Octauo. In oratioṇi

bus maximè ſollicitum, pro eccleſia nouella iugiter intercedendo. Nono. In contemplatione ſedulum, ſuis meritis gratiam hominibus impetrando.

Cur facies domini ſoli comparetur. Cap. III.

SAbbato quatuor temporũ aduẽtus. In Miſſa, veni et oſtende, cùm pro omnibus oraret, qui dei feciem toto corde deſyderant, vidit dominum in medio chori ſtantem, cuius facies velut mille ſoles radians, ſingulas perſonas ſolari radio illuſtrabat. Illa perquirente cur facies eius ſolarẽ præferret ſpeciem: reſpondit dominus. Sol tres habet proprietates, in quibus mihi ſimilari videtur. Sol .n. calefacit, ſic mihi appropinquantes, amore incaleſcunt. Et ſicut cera à facie ignis liqueſcit: ſic ad meam preſentiam incaleſcunt eorum corda. Sol etiam omnia fructificare facit, ſic mea præſentia animam virtuoſam efficit, & in bonis operibus fructuoſam. Et ſicut ſol illuminat, ſic omnem ad me venientem lumine diuinæ cognitionis illuſtro. Poſt hæc recolens verſum illum. Exultauit vt gygas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſsio eius. Dixit ad dominum. Mi domine, quid in his verbis prophetæ inſpiraſti? Cui dominus ſtatim apparuit, ſtans in cœlo velut iuuenis, procerus,

Pſ. 44.

agilis, & valde decorus, præcinctus cingulo ex rubeo, viridi & albo ſerico facto: & ait. Qui longam & difficilem viam curſurus eſt, oportet vt forti cingulo altius ſe cingat: ne veſtes eius iter impediant. Sericum rubeum (quùm bonum eſt) fortius eſt alio, ſic paſſio mea omni martyrio validior fuit. Ipſa .n. omnium martyrum paſſionem roborauit: virtutemq; conſtantiæ & perſeuerantiæ tribuit. Viride & album ſericum etiam alio fortius eſt, ſic innocentia humanitatis meæ, & virtuoſa conuerſatio mea, omnium innocentiam & vitæ meritum ſupergreſſa eſt. Hoc cingulo humanitatis & paſſibilitatis me fortius & altius accinxi, decurtans longitudinem æternitatis in breui ac temporali vita humanitatis: exultans vt gygas in fortitudine ſua, quùm illam difficilem & grauiſſimã viam curſurus eram: redemptionẽ .ſ. humani generis peracturus. Quiſquis etiam pretioſum & magnum theſaurum portat, altius ſe ac cingit, ne ipſum perdat, ita ego nobiliſſimum theſaurum ideſt animam hominis portãs, diligentius me cinxi: quia omnium ſaluandorum animas ineffabili amore & deſyderio in corde meo inceſſanter portaui. Cum autem conuentus accederet ad communionem, vidit dominum quaſi regem per magnificum, loco ſacerdotis ſtantem, ad quem ſin

gulæ accedentes, lampades ardentes coram ſe tenebant: quæ lumine ſuo facies earum illuſtrabant. Intellexitq; per ſpiritum ſanctum, lampades illas ſignificare corda ardenter amantium, liquorem in eis, pietatem diuini cordis, quæ communicantes influit, flammã, charitatis ardorem, quia ſacramentum illud ſacroſanctum ſe dignè ſumentibus, pietatem ad omnia valentem infundit: & in dei amore accendit.

De vigilia natiuitatis domini. Cap. IIII.

IN vigilia dulciſsimæ natiuitatis domini noſtri Ieſu chriſti filij dei. Conuentu eunte ad capitulum, vidit multitudinem angelorum cum luminaribus, binos & binos ſingulis perſonis miniſtrantes. Dominus autẽ loco Abbatiſsæ in throno eburneo reſidebat, de quo fluuius lympidus cũ impetu efluens, ad primum Miſerere mei deus, ſingularum facies abluebat. Ad ſecundum miſerere, ſingulæ ad dominum accedentes offerebant ei preces ſuas, quas illa hora pro eccleſia fundebant. Ad tertium miſerere. Dominus aureum calicem habens, animabus propinabat: quarum memoriã in oratione tunc ſorores faciebant. Et ait dominus. Hoc capitulum hic ſingulis annis teneo.

De natiuitate domini noſtri Ieſu Criſti.

Cap. V.

IN ſacratiſſima nocte melliflua natiuitatis Ieſu Chriſti. Viſum eſt huic deuotæ virgini, quaſi eſſet in monte petroſo, in quo beatiſſima virgo Maria vicina partui ſedebat, & cum tempus inſtaret pariendi, beatiſſima virgo ineffabili lætitia & iubilo replebatur; circumfulſitq́; eam lux diuina, ita vt cum ſtupore citò ſurgeret, & infima humilitate procidens, ſe in gratiarum actione vſq; in terram inclinaret, neſciens quomodo ſibi eſſet donec puerum haberet in gremio præ filijs hominum ſpecioſum. Tunc cum ineffabili gaudio et feruentiſſimo amore infantem aſſumens, tria ſibi oſcula dulciſſimè infixit, ex quibus beatiſſimæ trinitati in tantum vnita eſt, quantum vnquam homini poſſibile fuit, vniri deo ſine perſonali vnione. Per montē petroſū ſpiritualis habitus figuratur, qui durus & aſper in hoc ſeculo videtur, quem Chriſtus benedictus cum matre ſua primi oſtenderunt, hominibuſq; exemplum veræ religionis tradiderunt. Anima verò iuxta beatam virginem (ut ſibi videbatur) reſidebat, magno cupiēs deſyderio etiā amabilem infantulū oſculari. Virginea autē mater poſtq́; filium ſuū dulciſſimè amplexata fuit & allocuta; tradidit ipſum etiam animæ

amplexandum. At illa cum ineffabili amore pue-rum ſuſcipiens, cordi ſuo ipſum impreſſit; his verbis quæ nunquam prius cogitauerat, puerum ſalutans. Salue paterni cordis medulla dulciſſima, languentis animæ ſagina et refectio beatiſſima, tibi offero cordis & animæ meæ medullam in æternam laudem & gloriam. Intellexitq́; diuinitus inſpirata, qualiter filius eſt medulla cordis paterni. Et ſicut medulla confortatiua, ſanatiua, & dulciſſima eſt: ita deus pater filium ſuum, qui virtus eius eſt & dulcedo ſuauiſſima, nobis donauit in propugnatorem, ſaluatoremq; potentiſſimum, & dulciſſimum conſolatorem. Medulla verò animæ eſt illud dulciſſimum, quod anima à ſolo deo per amoris infuſionē meretur ſentire: quo omnia verè deſpicit, cui omne gaudium mundi, etiam ſi in vnum tranſfuſum eſſet hominem, non poſſet comparari. A facie pueri quatuor ſplendebant radij, qui quatuor mundi partes implebāt, per quos figurabatur ſanctiſſima Chriſti conuerſatio, eiuſq; doctrina quæ mundum illuſtrauit vniuerſum. Dum autem cantaretur Miſſa. Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te, in memoriam & reuerentiam illius occultæ & ineffabilis domini Ieſu ex patre deo æternæ natiuitatis, viſum eſt ſibi, quaſi videret deum

Noua ſalutatio ad puerū Ieſum i eius natiuitate

Pſ. 2.

patrem, vt regem præpotentem in tentorio valde mirabili, in throno eburneo ſedentem, & animæ dicentem. Veni & accipe coæternum & vnigenitũ cordis mei filium, & communica eum omnibus, qui deuota gratitudine modo eius, altiſsimã & æternam ex me generationem venerantur. Viditq; de corde dei ſplendorẽ procedere, qui cordi animæ in ſimilitudine infantuli perlucidi adheſit, quem illa his verbis ſalutauit. Salue ſplendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens, lux lucis et fons luminis, dies diẽ illuminãs. Poſt hæc puerũ ſingulis perſonis circunferens, vnicuique eum dabat, manſitq; cum ſingulis, & nihilominus eum ſupra cor ſuum ipſa portabat. Puer autem ſupra pectus ſingularum ſe reclinans, corda earum tribus vicibus ſugendo oſculabatur. Primò, exuxit omne deſyderium earum. Secundò, bonam voluntatem. Tertiò, omnem laborem quem in cantu, inclinationibus, vigilijs, cæteriſq; ſpiritualibus exercitijs perfecerant, ſibimet ſugendo intraxit. Agnouitq; deo valde acceptum fore, quod homines licet diuinam & ineffabilem filij dei, à patre generationem attingere non valeant, pia tamẽ credulitate congaudentes, laudibus quibus poſſunt eam extollunt. Et cum legeretur euangeliũ. Exijt edictum à Cæſare auguſto, vt deſcriberetur vniuer

Alia ſalutatio ad puerum Ieſum i eius natiuitate.

Luc. 2.

vniuerſus orbis. Videbatur ſibi, quod deus pater diceret ei. Vade ad virginem matrē filij mei, rogans vt det filium ſuum cum omni gaudio quod habuit in ipſo quum eum genuit, & cum omni bono quo eum ſibi & toti mundo in ſalutem donaui. At illa veniens, inuenit puerum in præſepio reclinatum & pannis inuolutum, dixitq; infans. Quum in mundum veni, mox pannis & faſcia ligatus fui, vt me mouere non poſſem, in ſignum quod me totum cum omnibus bonis, quæ de cœlo mecum attuli, dedi in hominis poteſtatem ad eius ſummam vtilitatem. Qui.n. ligatus eſt, nullam poteſtatem habet, nec ſe defendere in aliquo valet: eiq; auferri poteſt omne quod habet. Similiter de mundo egrediens, cruci affixus ſum: vt me omnino mouere non poſſem, in ſignum quod omnia bona, quæ in humanitate peregi, homini vſurpanda dereliqui. Omnem deniq; conuerſationem & paſsionem meam totaliter homini contuli. Vnde iam confidenter auferre mea poteſt, & hoc mihi deſyderabile eſt, vt bonorum meorum vtiliter perfruatur. Videbatur etiam ſibi quod amor in ſpecie virginis cum beata Maria reſideret. Cui ait. Eya amor dulciſsime doce me congruum obſequiū huic prænobili puero exhibere. Cui amor. Ego, inquit, prima virgineis manibus eum tractaui:

pannis inuolui, ego virgineis vberibus cum matre ipſum lactaui; gremio foui, & humanitatis obſe quia cum matre exhibui, & adhuc ſeruio inceſſanter. Quiſquis ergo illi dignè voluerit miniſtra re: me in ſocium accipiat, hoc eſt, omnia in vnione amoris, quo deus humanam in ſe naturam ſuſcepit, faciat, et ſic quicquid agit; deo gratiſsimum erit. Et dum in aurora, Miſſa (lux fulgebit) cantaretur, ineffabili cognitione illuminabatur, & in tellexit qualiter filius dei eſſet illa lux, & quomodo totum mundum, omnemq; hominem in ſua lucifera natiuitate illuſtraſſet. Agnouit etiam
Coloſſ. 2. qualiter in tantillo infantulo totius diuinitatis ple nitudo inhabitaret, & quod omnipotens virtus dei corpuſculum ne totum diſsiparetur, contineret. Item qualiter inſcrutabilis dei ſapientia in eo latitabat, quia tantæ ſapientiæ erat in præſepe iacens: quantæ eſt iam in cœlo regnans. Et qualiter dulcedo & amor ſancti ſpiritus illi infantulo tota erat infuſa, ita vt anima inde ſentiret, quod inenarrabile, & ſupra humani ſenſus capacitatem foret. Tunc illa accipiens puerum, amplexibus ſtringens: cordi ſuo impreſsit ita, vt audiret & ſentiret pulſum cordis eius. Habebatq; ſimul vno impetu tres validos pulſus, & poſt hoc vnũ leuem pulſum. Super quo dum anima miraretur:

uit ad eam infans: Pulſus cordis mei non erant ſicut aliorum hominum, ſed ſemper tales habui pulſus ab infantia vſq; ad mortem, indeq; factum eſt: quod tam cito moriebar in cruce. Primus pulſus prouenit ex omnipotenti amore cordis mei, qui tā præualēs erat in me, quod omnia mūdi aduerſa, & iudeorum ſæuitiam ſuaui & patienti corde deuici. Secundus venit ex ſapienti amore, quo me & omnia mea tam laudabiliter regebam: & in quo omnia quæ in cœlis, et quæ in terris erant: ſapientiſſimè ordinabam. Tertius ex dulci proueniebat amore, qui tā valenter me penetrauit: quod omnia mundi huius amara fecit mihi ſuauia, quin & ipſam mortem amariſſimam, pro hominum ſalute amabilem mihi fecit & prædulcem. Quartus pulſus, qui leuis erat, humanitatis meæ benignitatem figurabat, quæ me omnibus amabilem, ſociabilem, ac imitabilem faciebat. Inter ſecretum docuit eam dominus, dicens. Quùm primò Sanctus, canitur, legat homo ſemel pater noſter. Orans quatenus cum omnipotenti, ſapienti, dulci & benigno amore cordis mei ipſum præparem illa hora, vt dignus ſit me ſuſcipere ſpiritualiter in anima ſua; vt operer et perficiam in eo omnia, quæ ab æterno facere diſpoſui, ſecundum omne placitum meæ diuinæ voluntatis. Inter complenda ue-

quatuor Pulſus diuini cordis.

rò & collectam, legat hunc verſum. Laudo te ò amor fortiſsime, glorifico te ò amor ſapientiſsime, magnifico te ò amor dulciſsime & benigniſsime in omnibus et pro omnibus bonis, quæ tua glorioſiſsima diuinitas & beatiſsima humanitas operata eſt in nobis, per nobiliſsimum inſtrumentum cordis tui: & operabitur in ſecula ſeculorũ. Tunc ego ad benedictionem ſacerdotis, taliter ipſum benedicam. Benedicat te mea omnipotentia, inſtruat te mea ſapientia, repleat te mea dulcedo, attrahat te et uniat mecum mea benignitas ſine fine. amen. Alio quodam tempore, in miſſa natiuitatis domini, viſum eſt ei, quod ſuper altare creuerat arbor miræ magnitudinis. Altitudo eius vſq; ad cœlos protendebatur, latitudo verò orbẽ terrarum replebat, & plena erat fructibus & folijs infinitis. Altitudo, Chriſti figurabat diuinitatem. Latitudo, perfectiſsimam eius conuerſationem. Fructus, omne bonum quod prouenit de conuerſatione & actibus Chriſti. Folia verò aureis litteris erant inſcripta. Chriſtus incarnatus. Chriſtus homo natus. Chriſtus circũciſus. Chriſtus á magis adoratus. Chriſtus in templo præſentatus. Chriſtus baptizatus. Chriſtus crucifixus. & ſic tota conuerſatio eius habebatur in arbore ſcripta.

De ſancto Iohanne euangeliſta.
Cap. VI.

IN feſto ſancti Iohannis euangeliſtæ, cum ad matutinas primò pulſaretur, videbatur ſibi quod puer Ieſus velut iuuenis annorum decem, ſorores cũ magno gaudio excitaret. Sanctus quoq; Iohannes etiam in dormitorio viſus eſt ab eadem, ſtans ante lectum cuiuſdam perſonæ, quæ ipſum valde diligebat. Angelus verò vnus magnificus nimis et venerandus de ordine ſeraphim cum lumine obſequendo Ioannem præibat, comitante eum innumera angelorum multitudine, qui omnes in Iohannis obſequio aderant: & cum luminaribus in choro ducebant. Illæ autem quæ ex amore hylariter ſurgebant, multo maiorem gloriam habebant: quam cæteræ quæ ex timore hoc faciebãt. Angelus autem ille principalis ideo Iohanni obſequebatur: quia deum ſeraphico amore in terris dilexit. Intellexit etiam, quod Angelus adhuc omnium cordibus qui Iohannem diligunt, ob reuerentiam præcipui amoris, quo eum Chriſtus dilexit, amorem adhuc miniſtrat, & quod dei ſpiritus adhuc homines in eius excitat amorem. Inter matutinas autem ſanctus Iohannes chorũ circuiens, calicem ſingularum ori appoſuit, congregans in eo deuotionem & intentionem pſallentiũ,

quem Chriſto lætus propinauit. Cogitanti autem & ſcire cupienti, quid meriti Iohannes pro eo haberet, quod euangelium de Chriſti diuinitate cæteris altius ſentiens, ſcripſiſſet: hoc á deo reſponſum audiuit. In omnibus ſenſibus quandam eminentiã præ cæteris obtinet ſanctis. Oculi eius inaceſsibile lumen diuinitatis clarius intuetur. Aures eius dulce ſuſurrium dei ſubtilius intelligendo penetrant. Os quoq; & lingua eius ineffabilis ſentit dulcedinis guſtũ. Tantæq; ſuauitatis odor ex ore eius ſpirat: quod totum cœlum replet, ita vt quilibet ſanctus odorem Iohãnis ſuauiter ſentiat. Cor inſuper eius ſingulari delicioſitate in diuinitatis ardet amore, & volatu liberiore ac ſublimiore diuinæ altitudinis archana peruolat. Tunc iſtæ orationes eiuſdem perſonæ ſancto Iohanni deuote (vt rogata fuerat) obtulit: quas ille gratanter acceptans, ait. Ex omnibus quæ mihi obtulit: conuiuium parabo ſanctis. Alia vice vidit ſanctũ Iohannem euangeliſtam ſupra pectus domini Ieſu pauſantem, & multitudinẽ ſanctorum circa dominum quaſi choream ducentem: & Criſtum pro Iohanne laudantem. Tunc orabat dominum, vt ſe inſtrueret, qualiter pro tam dilecto diſcipulo ipſum laudaret, et reſpondit dominus. Primo laudabis me pro nobiliſsima eius progenie quia natus

12. priuilegia ſcilicet Iohãnis euãgeliſtæ.

eſt de mea parentela, qua ſub cœlo nobilior nulla eſt. Secũdo, quod de nuptijs ipſum vocaui ad meum apoſtolatum. Tertio, quod claritatem meæ faciei præ cæteris meruit contemplari. Quarto, quod in vltima cœna ſupra pectus meum meruit pauſare. Quinto, quod intellectum cognitionis præ alijs habuit, vnde orationem illam, qua in monte oliueti oraui: meruit conſcribere. Sexto, quod matrem meam ipſi ſingulari amore ſeruandam in cruce comendaui. Septimo, quod poſt reſurrectionem meam, ipſum ſpeciali cognitione illuminaui. Octauo, quod pro nomine meo venenum hauſit. Nono, quod ſingulari prærogatiua famliaritatis, myſteria mea illi reuelaui. Decimo, quod ſigna multa in nomine meo fecit: et mortuos ſuſcitauit. Vndecimo, quod tam dulciter in eius exitu ipſum viſitaui: et ad conuiuium meũ cum ſuis fratribus inuitaui. Duodecimo, quod ipſum ab omni dolore carnis liberum, cum gloria de hoc exilio ad gaudium perduxi ſempiternum. In miſſa autem, inter euangelium, vidit eundem diſcipulum iuxta altare ſtantem; & librum ſacerdoti tenentem, ad omniaq; verba euangelij: velut radios de ore eius procedentes. Vidit etiam beatam virginem Mariam ex altera parte altaris ſtantem, & ex oculis ſancti Iohannis, radium miri ſplendoris infa-

ciem virginis tendentem. Quod dum illa miraretur: ait illi Iohannes. Dum eſſem in terris, genitricem domini mei in tanta reuerentia & honore habui: quod faciem eius nunq̃; inſpicere auſus fui.

De circuncisione domini.

Cap. VII.

IN ſancta nocte cricũciſionis domini. Cum ſororum orationes & deuotionis obſequium deo offerret, orans vt noui anni benedictionem eis cõferre dignaretur: donnnus reſpondit. Salus & benedictio ſit vobis à patre meo, et à me Ieſu filio eius, & à ſpiritu ſancto qui eſt omnium operum veſtrorum ſanctificatio. Ego ſum ille de quo ſcri-
pſ. 101. *ptum eſt. Anni tui non deficient: Tranſite ergo*
eccleſi. 24. *ad me omnes qui concupiſcitis me: et diſcite à me,*
Matth. 11. *quia mitis ſum & humilis corde. Quia omnis qui cordis & corporis requiem conſequi deſyderat, oportet vt mitis ſit & humilis. Et adiecit: Qui vitam ſuam cupit innouare, faciat more ſponſæ, quæ à ſponſo ſuo noui anni munuſcula maximè accipere affectat. Sic & anima fidelis nouis indumentis à me veſtiri deſyderet, quatinus per anni circulum, in oculis omnium velut regina glorioſa procedat. Primò igitur affectet ſibi dari à me pur pureum veſtimentum ideſt humilitatem, vt ſci-*

licet in vnione illius humilitatis, qua de cœlis ad terram deſcendi, in omnibus ad qualibet vilia hu militer ſe inclinet. Deinde veſtem coccineam ideſt patientiam, vt omnia ſibi grauia & dura patien ter amplexetur. Quia ad id humanitatem aſſum pſi: ut pœnas et opprobria ferre poſſem. Iis ſuper-induatur aureo amictu ideſt charitate, vt ſcilicet in unione illius amoris quo me in terris affabilem omnibus, & benignum exibui: omnibus homini bus amicabilem ſe præbeat & gratioſam. Poſt cir culum verò anni, hoc iterum innouari ſibi petat, et magis ac magis ſe in his virtutibus exerceat: & quaſi ex nouo eas ſtudeat cuſtodire. Orante etiam illa vt quæ ſibi non placerent in eis, circunciderct: reſpondit dominus. Circuncidimini corde, ab omni bus cogitationibus ſuperbiæ, impatientiæ, et mun danæ vanitatis. Circuncidimini ore, ab omnibus verbis detractorijs, placentiæ et iudicatorijs. Cir cuncidimini & opere, ab otio, á tepore boni, & á tranſgreſsione mandatorum dei & obedientiæ. In his verbis domini intellexit, magni eſſe crimi-nis: quùm homo iudicat proximum ſuum. Et ſi contingat illum iniuſtè iudicare, reus erit tanti ſce leris: quanti eſſet ille, ſi feciſſet hoc malum, quod de eo iudicatur. Quod ſi hoc fecit quod de eo di-citur, iudicans tamen dum neſciat intentionem fa-

cientis, ſecundum cor ſuum & ſenſum iudicat: tã reus ex ipſo iudicio fit; ſicut ille qui rem illam perpetrauit, & niſi pœnitendo diluit; ſimili pœnæ, quam ille meruit, ſubiacebit.

De Epiphania domini.
Cap. VIII.

IN ſancta nocte Epiphaniæ. Dum reſpõſoriũ. In columbæ ſpetie, cantaretur, vidit dominum Ieſum in niuea veſte, & intellexit, quod dum
Matth 17. Iohannes Chriſtum baptizaſſet, & patris vocẽ
Mar. 9. audiſſet, ac ſpiritum ſanctum in columbæ ſpetie
Luc. 9. vidiſſet, Chriſtum in tali forma et habitu vidiſſet: quali eum tres diſcipuli in tranſfiguratione cõ
Matth. 3. ſpexerunt. Cogitanti autem & ſcire cupienti, ſi Iohannes á Chriſto etiã baptiſma ſuſcepiſſet, quia dixit. Ego á te debeo baptizari: dixit ei dominus. In eo quod Iohannes me tetigit, & aquis immerſit: baptiſmum meum ipſi contuli. Et quia deſyderauit á me beptizari, & agnouit ſe indigere baptiſmo: ideo baptiſmum chriſtianitatis cũ innocẽtia illi tribui. Et deinde omnibus qui adhuc in nomine meo baptizantur, innocentiam meam confero: per quam filij cœleſtis patris efficiuntur. Vnde & pater meus de quolibet baptizato dicit, hic eſt filius meus, conplacens ſibi in eo, ſicut in

filio chariſſimo. Quòd ſi etiam homo hanc innocentiam peccatis amiſerit: per veram pœnitentiã eam recuperare valebit. Et dum cantaretur, ipſum audite, dixit ad dominũ. Mi domine, quid à dilecto filio tuo audire debemus? Cui dominus. Audite filium meum vos ita vocantem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos. Matth. 11. *Audite eum vos docentem. Beati* Ioan. 6. *mundo corde quoniam ipſi deum videbunt.* Ioan. 8. *Audite eum vobis conſulentem.* Ioan. 15. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habebit uitam æternam. Et illud. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris ſed habebit lumen vitæ. Audite eum præcipientem. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. Audite etiam eum comminantem. In quo .n. iudicio iudicaueritis: iudicabimini.* Matth. 7. *Et iterum. Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. *In miſſa autem, poſt perceptionem dominici corporis, dixit ei dominus. Ecce do tibi aurum ideſt diuinum amorem meum. Et tus ideſt omnem ſanctitatem & deuotionem meã. Et myrrham ideſt amaritudinẽ paſſionis meæ. Singula hæc tã propriè tibi do: vt ea quaſi tua mihi ualeas redonare. Quod dum anima fecerit: eadem dupplicata ſibi reddo, et ſi illa iterum mihi obtulerit,*

& quoties hoc fecerit: toties dupplicata ſibi red
Matth. 19. Mar. 10. do. Et hoc eſt centuplum, quod homo in præſenti accipit: et vitam æternam poſtmodum in futuro. Hæc tria homo ſingulis annis hac die deo poſſet offerre. ſ. diuinum eius amorem, puritatem ſanctitatis eius, & fructum paſsionis eius.

Quod Chriſtus animæ defectus ſupplet. Cap. IX

IN dominica infra octauas Epiphaniæ, inter miſſam, in excelſo throno, vidit dominum Ieſum vt iuuenem pulcherimum ănorum duodecim, in altari reſidentem: & hæc verba dicentem. Ecce adſum tota uirtute mea diuina, vt ſanem omnes contritiones ueſtras. Illa verò cogitabat intra ſe: dicens. O ſi laudes plenas deo patri pro me perſolueret, hoc multo plus acceptarem. Cui dominus. Quid aliud eſt affectatio diuinæ laudis, q̃; afflictio quædam animæ, cum nequaq̃; pro deſyderio ſuo deum valet laudare? ſimiliter, & deſyderium, deuotio, oratio, & bona uoluntas, quã habet anima ad quæq; bona perficienda: ſunt quædam contritiones animæ, quas dum ego permetipſum ſuppleo: omnes contritiones eius ſano.

Quod dominus Ieſus iram patris

mitigat. Cap. X

ALia vice in eadem dominica, apparuit ei dominus Ieſus vt puer annorum duodecim, habens tunicam ex viridi et albo colore, dixitq; ad dominum. Cur domine cum eſſes duodennis, te primò manifeſtare voluiſti, & in templo inter doctores ſedere, ipſos audire & interogare, quùm ſæpius (vt credo) ante in templum ſecundum conſuetudiuem ueneris? Cui dominus. Quia tunc ſecundum humanam naturam, in humanis actibus me cœpi exercere, in omni ſapientia de die in diem proficiens: licet deo patri in æterna ſapientia eſſem coæqualis. Sic & uos, quùm pueri ueſtri duodecim annos habent, deberetis ipſos ad bonum inſtruere: et de malo ſeriosè corripere. Tunc multi nō perirent in religione & ſpirituali diſciplina. Et illa. Quid deſignat hoc duplex veſtimentum? Et dominus. Per album colorem deſignatur virginalis puritas meæ ſanctiſſimæ vitæ. Per viridem. viror quo ſemper floreo in meipſo. Tunc ait ad dominum. Eya amantiſsime dominē & frater ora pro me patrem tuum cœleſtem. Qui expandēs
manus, orabat ad patrem: dicens. In me tranſie Pſ. 87.
runt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me. Quod anima audiens; timebat dyaboli eſſe figmēta. Ad quam domiuus. Ego ſum, inquit, ille; qui

iram cœleſtis patris mitigaui: & hominem deo
Rom. 8. reconciliaui in ſanguine meo. In me vero tranſie-
runt iræ eius, quando mihi vnico filio ſuo non pe-
percit: ſed in manus impiorum tradidit, egoq; irã
eius in tantum mitigaui: quod ſi homo voluerit,
nunq; de cætero ira eius ad verſus eum acuetur.

Qualiter ueniamus ad uidendã faciẽ domini.
Cap. XI.

HAEc dei ancilla docuit ſorores, ut ſpeciali de uotione Romam ad diẽ, qua oſtenditur imago faciei domini, tenderẽt, legendo tot vicibus pater noſter, quot miliaria ab ipſarum monaſterio ad Romam interiacebant. Quò cum perueniſſent, ſummo pontifici deo peccata ſua in oratione confiterentur: accipientes ab eo remiſſionem omnium peccatorum. Et ſic in dominica ſumentes corpus domini hora qua eis vacaret ad orandum: cum oratione quam dictauerint: Chriſti imaginem ſupliciter adorarent. Quod dum ſorores feciſſent: ſequens viſio eidem monſtrata eſt. Dominica prima poſt octauas epiphaniæ, quando Romæ agitur feſtum oſtenſionis eiuſdem imaginis. Dum cantaretur miſſa, omnis terra, vidit dominum ſedẽtem in monte florido in ſede facta de iaſpide, ornata auro & lapide rubicundo. Iaſpis ſignifica-

bat virorem æternæ diuinitatis, lapis rubeus: paſſionem, quam pertulit pro nobis ex amore. Mõs autem erat circumſeptus arboribus pulcherimis, plenis fructibus, ſub quibus animæ ſanctorũ quieſcebant, habentes ſinguli tentoria aurea: et comedebant de fructibus in magno gaudio & delectatione. Hic mõs ſignificabat Criſti conuerſationẽ. Arbores: eius virtutes ſcilicet charitatem, miſericordiam, & alias. Et prout quilibet fuerat dominum imitatus in virtutibus: arboribus quieſcebant. Ita uidelicet, vt qui dominũ in charitate imitati fuerant: de arbore charitatis comedebãt. Qui verò in operibus miſericordiæ floruerant de arbore miſericordiæ reficiebantur. Et ſic de alijs, ſecundum merita virtutum. Deinde omnes qui ſe præparauerant ad venerationem dominicæ imaginis, cum oratione ſpeciali accedebant ad dominũ: & portantes peccata ſua in humeris ſuis, deponebant ea ad pedes domini: & mutata ſunt in aurum. Qui ex amore pœnituerant ita, vt plus dolerent ſe deum offendiſſe, q̃; pœnam incurriſſe: eorum peccata ſimilia erant monilibus aureis. Qui pſalterijs & orationibus peccata ſua redemerant: ſimilia erant nobis aureis. Qui tentationibus peccatorum varijs reſtiterant laboribus: ſimilia erãt clipeis aureis. Et qui peccata ſua caſtigatione car

nis purgauerant: ſimilia erant olfactoriolis aureis, quia caſtigatio carnis redolet ante deum velut thimiama ſuauitatis. His viſis: dominus ait. Quid de his faciemus? Vtiq; in amore omnia concrementur. Et adiecit. Ponatur menſa. Statimq; viſa eſt ibi menſa coram domino: ſcutellis & ſcyphis aureis vndiq; referta. Facies autem domini quaſi ſol radians: ſplendore ſingula vaſa pro cibo & potu implebat. De hinc omnes qui aderant, flectentes genua coram menſa, amicti ſplendore faciei domini quaſi veſtimento: ſumebant cibum & potum quæ eſt refectio ſuauiſſima angelorum & omnium beatorum. Illis verò qui eadem die ad viuifica ſacramenta non acceſſerant, & tamē cum deuotione aderant: miſit dominus per ſanctū Iohānem euangeliſtā quaſi in parapſide refectionem, ſecundum regalem ſuum honorem. Vidit etiam á facie domini Ieſu, in quam deſyderant angeli proſpicere, quatuor radios prodeuntes. Superior radius ſplendebat in omnes, qui cum deo ita vniti erant: ut tam in proſperis q̄; in aduerſis, nihil velint aut deſyderent, niſi dei ſolius voluntatem. Inferior radius in omnes peccatores fulgebat: vt ipſos ad pœnitentiā prouocaret. Dexter autem radius omnes penetrauit prædicatores qui verbum dei hominibus annunciant. Siniſter verò

1. Pet. 1.

quatuor radij faciei domini.

radius

radius omnes irradiauit, qui integra & perfecta fidelitate deo famulantur. Tunc orabat dominum pro omnibus ſibi in oratione comendatis, vt qui memoriam celebrant dulciſſimæ faciei eius: conſortio non fraudentur. Ad quam dominus. Nullus eorum debet á me ſeparari. Viditq; funem de corde dei in animam procedere, per quē illa omnes ad deum trahebat: qui in eius præſentia ſtabant, funis ille amorem deſignabat, quem deus animæ illi beatæ infudit: per quem omnes ad deum trahebat, ſuo bono exemplo & doctrina. Tunc ipſe rex gloriæ extendens manum ſuæ omnipotentiæ; benedixit eas: dicens. Vultus mei claritas ſit vobis æterna iucūditas. Eya curramus omneſ cū deſyderio, et ueneremur faciē illā iucundiſſimam: quæ in cœlo erit omnia, quæ deſiderare poteſt mēs pia.

De sancta Agnete, & quod sancti omnia bona ſua ſibi deuotis dare poſſunt. Cap. XII

AGnes virgo beatiſſima in feſto ſuo viſa eſt Chriſti ancillæ, quaſi de altari procederet: turibulo aureo gemmis precioſis optimè diſtincto, ſorores ſingulas turificans, & vapore ſuauiſſimi odoris totum chorum reſpergens. Turibulum illud intellexit ſignificare cor ſanctæ Agnetis.

Gemmas: dulciſſima verba eius. Ignem: ſanctí ſpiritus amorem, qui omnes cogitationes, deſyderia & verba eius inſimul concremans, ſuauiſſimo odore deum, & homines eius verba cum deuotione recolentes, lætificat & delectat. Cum verò ad matutinas cantaretur reſponſoriũ. Amo Chriſtũ. Apparuit ei dominus Ieſus habens ſanctam Agnetẽ ſub dextro bracchio amplexatã. Dominus autem & beata Agnes habebant veſtimẽta ſimilia ſcilicet rubea, in quibus omnia verba ſanctæ Agnetis quaſi litteris aureis erãt ſcripta. Et illa verba, quæ in domini veſte erãt, radio ſui luminis uerba, quæ erãt in ueſte ſanctæ Agnetis, irradiabant ita, vt ſplendorem in deũ darent: ac deinde chorũ & omnes aſtantes illuſtrarent. De corde etiam ſingulorũ deuotè & intentè pſallentiũ, radius in cor dei tranſibat, qui vltra per cor dei, cordi ſanctæ Agnetis velut ſuauiſſimus liquor influebat. In quo intellexit, quod omnis deuotio & fructus amoris, qui adhuc prouenit ex verbis eius, & ſimiliter omniũ ſanctorum, veluti cum ſol glaciem liquefaciens, refluere facit in ſuam originem, ſic omnia in deũ refluunt: & ſancti in his ſuauiter delectantur. Et cum dulcia uerba ſanctæ Agnetis in choro multiplicarẽtur, iſta quæ hæc videbat, cœpit contriſtari, & deo con-

queri: & quod ipſa in religionis habitu, Chriſto ab infantia deſponſata, eũ (ſicut hæc virgo beatiſsima) in pueritia toto corde non amaſſet. Tunc dominus ad ſanctam Agnetem ait. Da ei omnia tua. In quo verbo intellexit, quod dominus hanc dignitatem ſanctis ſuis contulit: vt omnia, quæ in eis operatus eſt, & quæ pro Chriſto pertulerunt, dilectoribus & ſibi deuotis, qui deũ pro ipſis laudant, & gratias agunt, vel dona dei in ipſis diligunt: donare poſſunt. Quod dũ beata Agnes feciſſet, illa ineffabili gaudio repleta, rogabat virginum reginã, quatinus pro tãto dono filiũ ſuum collaudaret. Cui reſpondit. Lege mihi. Aue maria. At illa diuinitus inſpirata, talẽ prorupit in laudem. Aue ex patris omnipontentia. Aue ex filij ſapientia. Aue ex ſpiritus ſancti benignitate dulciſsima. Maria, cœlũ & terram illuminans. Gratia plena: infundens & replens omnes te diligentes. Dominus tecũ, dei patris vnicus, & tui virginei cordis vnigenitus, amicus & ſponſus dulciſſimus. Benedicta tu in mulieribus, quæ Euæ fugaſti maledictionem, & æternam impetraſti benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui. Ieſus Chriſtus omnium creator, & dominus omnia benedicens & ſanctificans, omnia viuificans & locupletans. Tunc beata virgo etiã dedit illi omnia

pulcherima ſalutatio ad uirginem Mariam.

ſua, etiam virgineam maternitatem ſuam; vt ſcilicet dei mater ſpiritualis eſſet ex gratia: ſicut ipſa eſt ex natura. Per hoc quoq; intellexit, quod omnes qui ſe ſecundum voluntatē dei regunt, illā in omnibus diligentes & opere perficientes: Chri-
Matth: 12. ſti Ieſu matres efficiuntur, iuxta illud. Quicunq; fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt: hic frater meus & ſoror & mater eſt. Illa etiam uidens & ſentiens tam amantiſsimum & blandiſsimum dei erga virgines affectum, quùm mira gratitudine & admiratione ſtuperet tantam diuinæ pietatis dignationem; dixit ad eam dominus. Vir-
Tria uirginum priuilegia. gines præ omnibus ſanctis in tribus honoraui. Primum eſt, quod eas præ omni diligo creatura, quia cum prima virgo caſtitatem ſuam mihi voueret, vſq; adeò in eius amorē exarſi: quod vlterius me cohibere non potui, ſed de cœlo deſcendens, ei me totum infudi. Secundum eſt, quod eas ſuper omnes ditaui, quia omnia bona mea, & quæcunq; pertuli: ſpeciali proprietate eis donaui. Tertium eſt, quod eas ſuper omnes glorificaui, quia quùm accedunt ad me, eis aſſurgo: & ſingulare ſuſurrium eis tribuo, & ſpeciali libertate, quotieſcunq; voluerint, meo perfruuntur amplexu. Tunc illa dixit. Eia dulciſsime deus, & quales eſſe debent hæ feliciſsimæ virgines, quas ad tantam elegiſti

prærogatiuam? Reſpondit dominus. Nobiles, ſpecioſæ & diuites. Vera.n. virgo quam mihi in talem ſponſam elegi, debet eſſe nobilis humilitate, nihil ſe reputans: ſed omni creaturæ ſe inferiorem exiſtimans, contẽni & abijci ex corde appetens, & hic quanto humilior: tanto in cœleſti gloria nobilior erit. Egoq; humilitatem meã ſuæ adijciam: vt ſummam nobilitatem conſequatur. Sponſa etiã debet eſſe patiens, quia quanto patientior: tanto elegantior ex mea paſſione ſimul & ſua tolerãtia apparebit. Inſuper diuinam claritatem quã à patre habui ante mundi conſtitutionem illi pro perfecto decore ſuperaddam. Diues etiã virtutibus eſſe debet, congregans ſibi diuitias omnium virtutum, quibus incomparabiles virtutum mearum diuitias apponam: vt affluat & ſuperhabundet delicijs ſempiternis. Ad miſſam autem cum offertorium. Offerentur regi virgines, cantaretur, et illa cogitaret, quid modò gratum deo offere poſſet: dixit ei dominus. Qui mihi cor humile, patiens & charitatiuum obtulerit: ſatis gratũ mihi munus tribuit. Tunc illa ait. Et quod eſt tam humile cor, in quo tibi complaceat? Reſpondit dominus. Cui gaudium eſt quod deſpicitur, & in pœnis ac quibuſcunq; aduerſitatibus gaudet, exultãs pro eo quòd paſſioni et humilitati meæ aliquid

adijcere valeat, & quod habeat vnde mihi ſacrificet, hic verè patiens & humilis corde eſt. Similiter qui proximo ſuo in omnibus, quæ ei eueniunt bonis congaudet & aduerſitatibus dolet: is verè charitatiuum cor mihi offert.

De purificatione beatæ virginis Mariæ. Cap. XIII.

IN ſancta nocte purificationis beatæ Mariæ. Vidit ipſam glorioſam virginẽ et matrem, in vlnis ſuis baiulantem regalem puerũ Ieſum, indutũ veſte aerei coloris, aureis floribus plena, et in pectore, & circa collum & bracchia ſcriptum erat illud mellifluum nomen. Ieſus. dixitq; ad eam. O dulciſsima virgo, adornaueras taliter filium tuum quùm ipſum in templo præſentares? Cui beata virgo. Non ita, ſed tamen ipſum delectabiliter præparaui. A die .n. natiuitatis filij mei inæſtimabili gaudio ad diem illum aſpirabam, in quo filium meũ deo patri acceptiſsimã hoſtiam eſſem oblatura: per quẽ omnis hoſtia ab initio ſeculi deo eſt accepta. Tantaq; deuotione, & gratitudine ipſum obtuli, quod ſi omniũ ſanctorum deuotio in vnum tranſfuſa fuiſſet hominem: deuotioni meæ comparari non potuiſſet. Sed omnis lætitia mea ad
Luc. 2. Symeonis verba, Tuam ipſius animã pertranſibit

gladius, verſa eſt mihi in mœrorem. Multoties etiam quùm filium meum in gremio fouerem, præ nimia deuotionis dulcedine, caput meũ capiti ſuo acclinans, tantas lachrimas effudi: vt caput eius & faciem totam amoris lachrymis irrigarem. Sæpius etiã hoc verbum dicebam ei: O ſalus & gaudium animæ meæ. Dum verò anhelanti deſyderio amabilem puerum intueretur, Mater regia (ſecundum quod optauit) puerum in ſinu ſuo reclinauit. Quæ repleta lætitia, dum puerum amplexari vellet, ſe ipſam amplexata eſt: ſed puerum nõ habebat. Deinde cũ imponeretur antiphona, hæc eſt quæ neſciuit, audiuit choros angelorum dulci harmonia in aere perſonare, hæc eſt quæ neſciuit Sap. 3 *thorum in delicto: habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Et per totum pſalmum, Benedixiſti, beati illi angelici ordines in aere iubilando, ipſam ante alternatim cãtabant, ſcilicet. Angeli, Archangeli, throni, dominationes, principatus, poteſtates, virtutes, ſed quùm ad illos ignitos. ſ. cherubin & ſeraphin veniſſent: tam dulciter cantabant, quod nulli terreno ſono poterat comparari. Beata autem virgo Maria ſtabat in medio chori, puerum geſtans in vlnis, apparuitq; ſplendor trium cubitorum à terra, qui ſuo fulgore mille ſoles ſuperabat, ſuper quem virgo ma-*

ter filium ſuum dulciſſimum ponebat. Per ſplendorem, diuinitas figurabatur, quia deus ſuimet portitor fuit in terris: & diuinitas humanitatem regebat. Glorioſa autem virgo habebat in capite diadema regni, quod duo angeli ſuper caput eius tenebant, in quo omnium ſanctorum merita, & dignitates quaſi auro, & lapidibus precioſis erãt vermiculata, qui in hac uita ipſi beatæ virgini de uoto corde ſeruierãt, guttulæq; de ipſo ſtillabant, per quod exprimebatur gratia quã deus infundit omnibus, qui ſuæ virgineæ matri deuotè famulantur in hac vita. Sanctus quoq; gabriel archangelus antecedebat eam, ſceptrum aureum in manu geſtans, literis aureis inſcriptum. Aue Maria, gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui Ieſus Chriſtus. In quo agnouit, quod ſpeciali dignitate honoratur in cœlis, pro eo quod dei matrem præ cæteris meruit tã mirificè ſalutare. Habebat etiã beata virgo auream pyxidem in manu, & quærenti quid in ea haberet: reſpondit, de liquore diuini cordis, quem offerre volo filio meo cum omni labore, qui in eius ſeruitio completur. Vidit etiã beatum Symeonem iuxta altare ſtantem, de cuius corde radius informis in modum iridis exibat. In quo intellexit, quod humile, forte, feruẽſq; deſy-

derium ad deũ habuit, dixitq; ad eum. Eya impetra mihi verum deſyderium diſſoluendi, et eſſe cum Chriſto. Cui Symeon. Melius et perfectius eſt, ut deo uoluntatem tuã des: & uelis quicquid ille voluerit. Tunc orabat beatam virginem, vt pro ſe & pro congregatione filium ſuũ exoraret: quod ſtatim flexis genibus fecit. Completis itaq; matutinis, quúm benedicamus, cum alijs cantatricibus canere deberet, iterum rogabat eam: vt filium ſuum pro congregatione laudaret. Tunc præclara virgo Maria dulciſſimæ uocis modulatione inſonuit dicens. Ieſu corona virginum, amor, dulcedo, & oſculum. Et omnes angeli & ſancti, qui erant in aere, cantabant: dicentes. Te deum laudamus in ſeculum, quem amor fecit virginis filiũ. Poſt hæc ſplendor egrediebatur qui totum chorũ implebat. In quo agnouit, quod beata virgo filium ſuum laudabat pro ipſis & cum ipſis. Dehinc omnis angelorum et ſanctorum exercitus cum tripudio dominum ſuum proſequebãtur ad cœleſtia, canentes & dicentes. Hymnizate nunc ſuperi, pariter reſonate & inferi.

De monte & ſeptem gradibus eius.
Cap. XIIII.

DOminica quinquageſimæ, audiuit dilectum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

animæ Ieſum dulci amoris ſuſurrio ſibi dicentem. Vis mecum his xl. diebus & noctibus in monte cõmorari? Cui anima, O q̃; libenter domine mi, hoc eſt, quod uolo: hoc eſt, quod cupio. Tũc oſtẽdit ei montẽ excelſum et miræ magnitudinis ab oriẽte uſq; ad occidentẽ, habentẽ ſeptẽ gradus: per quos aſcendebatur ad ſeptẽ fontes. Et aſſumens eã peruenit ad primum gradum, qui vocabatur gradus humilitatis, in quo erat fons aquæ abluens animã à cunctis vitijs, quæ ſuperbia cõmiſit. Poſt hoc aſcendebãt ſecundum, qui vocabatur gradus mãſuetudinis, in quo erat fons patientiæ, mundans animam à maculis, quas ira peregit. Deinde tertium aſcenderunt, qui vocabatur gradus amoris, & in eo erat fons charitatis, in quo anima lauabatur ab omnibus peccatis quæ per inuidiam & odium perpretauit. In hoc gradu deus cum anima diu perſtitit. Tũc anima procidit ad pedes Ieſu, et ſtatim melliflua vox Chriſti inſonuit: dicens. Surge amica mea: oſtende mihi faciem tuã. Omnisq; cœtus angelorum & ſanctorum, qui erant in mõtis vertice, dulciſsimo amoris epithalamio cũ deo & in deo, ac ſi vna vox eſſet, ita dulciter reſonabant, et tam dulci modulatione pſallebant: quod humana lingua nõ ſufficit explicare. Dehĩc quartum aſcendebãt, qui dicebatur gradus obediẽtiæ,

ſons verò ſanctitatis, mundans animam ab omnibus quæ per in obedientiam deliquit. Ex in ad quintum peruenerunt, qui vocabatur gradus continẽtiæ; fonſq; in eo liberalitatis, purgans animam ab omnibus quæ auaritia cõmiſit, quod creaturis tã ad ſuam vtilitatem q̃; ad dei laudem (prout debuit) non eſt vſa. Moxq; ſextum aſcenderunt, qui vocabatur gradus caſtitatis, ibiq; fons diuinæ puritatis, purificans animam à cunctis quæ de ſyderijs carnis deliquit. Ibiq; anima dominũ ſeq; pariter candida veſte veſtitos vidit. Poſtremò peruenerunt ad ſeptimum gradum, qui dicebatur vera magnanimitas. Fons verò: ſpirituale gaudium cœleſte, mundans animã ab omnidus peccatis accidiæ. Fons autem ille non vt alij, cum impetu fluebat: ſed guttatim ſtillabat. Quia cœleſte gaudium nemo q̃; diu in hac vita eſt, ad plenum capere poteſt, ſed quaſi gutta, vel potius nihil eſt reſpectu ueritatis. Poſt hæc dilectus cum dilecta montis verticem aſcendebant, ubi erat multitudo angelorum in modum auium aureas campanas habentium, & dulcem ſonum reddentium. In ipſo monte duo erant throni mirabili decore nitentes. Primus, erat thronus ſummæ & indiuiduæ trinitatis, de quo procedebant quatuor riui aquarum uiuarum. Per primum riuum, intellexit

deſignari diuinam ſapientiam, qua ſanctos guber nat ita, quod voluntatem eius in omnibus agnoſcunt, & hylariter implent. Per ſecundum, diuinam prouidentiam, qua ipſis omnia bona prouidit: quibus eos ſatiat affluenter in æterna libertate. Per tertium, diuinam affluentiam, qua ipſos inebriat omnium bonorum vbertate ita, vt nunq̃; tanta deſyderent; quin eis abundantius omnia bona infundat. Per quartum, voluptatem diuinam, qua tam voluptuoſe in deo uiuunt, ſatiati plenitudine gaudiorum, affluentes delicijs quarum

Eſa.25.49 *non erit finis: vbi abſterget deus omnem lachry-*

Apoc.7.21 *mam ab oculis ſanctorum. Hic thronus habebat in ſummitate nodum aureum, ſua magnitudine replens orbem terrarum, qui figurabat diuinitatem, eratq; gemmatus lapidibus precioſis & mirabiliter fulgebat: vt regia ſtructura regis cœlorum. Habebat etiam multa tabernacula ſcilicet habitacula ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrũ, Confeſſorum, & omnium electorum. Thronus verò ſecundus, erat virgineæ matris, quæ iuxta regem ſuum (vt decet reginam) meritò reſidebat. Qui thronus etiam multa habebat tabernacula, ſcilicet uirginis pediſſequarum virginum ſanctarũ, quæ virginem matrem dignè proſequuntur. Videns ergo regem glo*

riæ Ieſum in ſolio ſuæ imperialis magnificentiæ, et matrem ipſius à dextris eius, ac præ admiratione illius iucundißimæ faciei, in quam angeli proſpicere deſyderant, tota in ſe deficiens: ante thronum ſanctæ trinitatis, ad pedes Ieſu corruit, quam dominus eleuans, in ſinu ſuo dulciter reclinauit. Veſtimēta uerò eius in finibus parumper puluere erāt aſperſa de quadam cauſa, qua ſe in veſpere occupauerat, quæ beata virgo accedens deterſit. Poſt hæc orabat beatam virginem, vt pro ſe laudaret filium ſuum. Quæ ſtatim de throno ſuo procedens cum virginum choro, filium ſuum laude ineffabili extollebat. Patriarchæ quoq; & prophetæ laudabant dominum cum iubilo dicentes. Summæ trinitati ſimplici deo vna diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Patri, proliq;, ſanctoq; flamini, qui totum ſubdit ſuis orbem legibus. Glorioſus verò apoſtolorum chorus cum tripudio decantabat. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſecula, quia ipſi agnouerunt in terris eum, à quo omnia bona profluxerunt, per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra: in quo omnia bona abſcondita ſunt. Poſt hoc martyrum victorioſus exercitus cecinit: dicens. Tibi decus. Dehinc confeſſorum ordo hymnizabat: dicens. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gra-

1. Pet. 1.

tiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo, deo noſtro in ſecula ſeculorum amen. Inter quos ſpecialiter beatum Benedictum patrem eximium uidit in candida veſte, roſeo colore intertexta. In candore figurabatur eius virginalis caſtitas. In rubeo; quod verè martyr eſt, eo quod tanto labore in ordinis rigore deſudans: in omnibus glorioſè triumphauit. Cumq; miraretur, quod angeli nõ canerent: dominus reſpondit. Tu cum angelis cantabis. Et ſtatim angeli cum illa beata anima concinabant dicentes. Te ſanctum dominum in excelſis laudamus. Te decet laus & honor domine. Poſt hos rogabat dominum: dicens. O amator vnice, in quo maximè complacet tibi, vt ab hominibus agnoſcaris? Cui dominus. In bonitate, qua miſericorditer hominem expecto, vſq; quo ad pœnitentiam conuertatur. Inſuper continuè ipſum gratia mea ad me traho. Cum uerò nullo modo voluerit conuerti, exigente iuſtitia, oportet illum dãnari. Rogabat etiam dominũ, vt ſe inſtrueret, qualiter pro ſancta eccleſia ſatisfaceret, quæ ipſi dilecto ſuo hoc tẽpore tantas irrogat cõtumelias. Et reſpõdit dominus. Trecẽtis et quinquaginta uicibus legas mihi antiphonam. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarũ actio in ſempiterna ſecula, pro omnibus, quæ à membris meis mihi tã indebitè inferuntur.

De Annuntiatione dominica.

Cap. XV.

ANnuntiationis dominicæ die, hæc Chriſti ancilla in oratione poſita, cũ peccata ſua in amaritudine animæ ſuæ recogitaret: uidit ſe veſtitam cinericio indumento. Incidit etiam menti eius uerbum illud. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, Eſa. 11.
cœpitq; cogitare quid factura eſſet, cum dominus maieſtatis iuſtitia accinctus veniet in poteſtate ſuæ diuinæ omnipotentiæ, eo quod tam negligens fuiſſet. Quia quanto homo ſanctior eſt corã deo, tanto ſe reputat inferiorem omnibus & viliorem. Et quo mundior eſt conſcientia à peccato: eo plus timet, ac præcauet, ne dei incurrat offenſam. Cumq; in tali perſiſteret contritione, uidit dominum Ieſum in ſolio ſublimi ſedentem, in cuius aſpectu mellifluo, cinis ad nihilum eſt redactus: ſtabatq; in eius præſentia velut aurum. Tunc cognouit quod omnia bona opera, quæ neglexerat, ſanctiſsima conuerſatione Ieſu Chriſti, & operibus eius perfectiſsimis eſſent ſuppleta, omniſq; eius imperfectio, filij dei perfectione altiſsima eſſet perfecta. Cum enim deus oculo miſericordiæ animam reſpicit, ſeq; ad miſerandum illi inclinat: omnia eius crimina obliuioni perpetuæ traduntur. Itaq; quùm magnum at ; eximium percepiſſet donum,

omnium ſilicet peccatorm remiſſionem, omniumq; meritorum ſuorum ſuppletionem: exinde ſecuritate accepta, reclinauit ſe in ſinum dilectoris ſui Ieſu, multiplices prætendens geſtus, ac præ amoris magnitudine, ineffabilis dulcedinis verba cum domino loquebatur. Viditq; de corde dei procedere fiſtulam auream, per quam dominum collaudabat. Tunc orabat, vt ſuimet ipſius laus efficeretur, & ſtatim audiuit vocem dulciſſimam domi-
Apoc.19. *ni Ieſu ſic intonantem. Laudem dicite deo noſtro omnes ſancti eius. Et cum illa miraretur, quomodo ipſe deus hoc poſſet decantare: inſpiratum eſt ei diuinitus, in hoc verbo. Laudem, qualiter deus laudat ſe in ſeipſo laude perfecta ſine fine. Et in verbo, dicite, cognouit quod deus de ſua diuina virtute tribuit poteſtatē animæ ſuper omnes creaturas, quæ in cœlo & in terra ſunt: ad laudem inuitate ſui creatoris. Et in hoc verbo, deo noſtro, intellexit quod filius dei, in quantum eſt homo, deum patrem reueretur, ſicut ipſe dixit, deum me-*
Ioan. 20. *um & deum ueſtrum. In hoc verbo, omnes ſancti eius, cognouit quod omnes ſanctificati in cœlo & in terra ab ipſo ſummo ſanctificatore Chriſto ſanctificantur. Vidit etiam beatā virginem Mariam à dextro latere filij ſui, zonā auream trahētem plenam cymbalis aureis per omnes ordines angelorum*

gelorum

gelorum & chorus ſanctorum, qui ſinguli tangentes cymbala: ſonum reddebant mirificum, laudãtes deum pro anima illa in omnibus donis & gratijs, quas largè perfecerat in ipſa. Et anima cum ipſis, totis viribus pro ſe ipſa deum collaudabat. Dominus autem aduocans animam, manus ſuas ponebat ad manus animæ, donans illi laborẽ et exercitationem omniũ operum, quæ in ſua ſanctißima humanitate perfecit. Deinde oculos ſuos benigniſſimos animæ oculis applicauit, donans illi exercitationem ſanctißimorum oculorum ſuorum, & lachrymarum effuſionem copioſam. Dehinc aures ſuas, animæ auribus adaptans dedit ei omnem aurium ſuarum exercitationem. Poſt hoc, os ſuum roſeum ori animæ imprimens, tradidit illi exercitationem laudis & gratiarum actionis, orationis & prædicationis, in ſuæ negligentiæ ſupplementum. Poſtremò cor ſuum mellifluum cordi animæ adunauit, tribuens illi omnem exercitationem meditationis, deuotionis, & amoris: omnibusq; bonis abundè ditauit. Sicq; anima illa beata totà domino Ieſu incorporata, & amore diuino liquefacta: ſicut cæra ſigillo impreſſa, imaginem illius repræſentat: cum dilecto ſuo vnum eſt effecta. Et cum in Miſſa euangelium. Miſſus eſt angelus Luc. 1 gabriel, legeretur, vidit ipſum archangelum ga-

brielem beatæ virginis pædagogum, venientem in Nazareth, habentem regium vexillum, aureis literis inſcriptum, quem ſequebatur ĩnumerabilis angelorum multitudo, qui omnes ordinauerunt ſe circa domum, vbi erat glorioſa virgo, tanq̃; murus à terra vſq; ad cœlũ, ita videlicet, vt intra Angelos Archangeli, intra quos, virtutes, deinde cæteri angelorum ordines, ita vt quilibet ordo domum illam circundaret quaſi murus. Poſt hæc do-
Pſ. 44. minus Ieſus procedens tanq̃; ſponſus de thalamo ſuo, præ filijs hominum ſpecioſus cum ignito choro Seraphim, qui deo ſunt proximi, hi dominum & beatiſsimã virginem gyrauerunt à terra vſq; ad cœlum, in modum muri & tecti. Dominus autem ſtabat ſecus vexillum archangeli, vt ſponſus & delicatiſsimus iuuenis, expectans quouſq; archangelus gabriel præclarã virginem ſalutaſſet reuerenter. Poſtq́; verò beata virgo ſe in abiſſum
Luc. 1. humilitatis ĩmerſit, dicens: Ecce ancilla domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. Statim ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie, exſpãſis alis diuinæ dulcedinis intrabat ãnimã beatæ virginis, fœliciter ei obumbrans, & filio dei eam mirabiliter fœcundans: matrem nobili onere fecit grauidam, & virginem permanere intactam. Sicq́; virgo mater dei & hominis eſt effecta: ſpiritu ſancto

cooperãte. Poſt hæc cũ dilectum animæ ſuæ Ieſum in ſacra cõmunione percepiſſet: audiuit eum ſibi dicentem. Tu in me, et ego in te: & in æternum non derelinquã te. Illa autẽ nil aliud q̃; dei laudẽ totis præcordijs affectabat. Cui dominus cor ſuum diuinum dedit in modum ſcyphi aurei miro modo decorati: dicens. Per cor meum diuinum ſemper me laudabis. Vade & propina omnibus ſanctis de corde meo poculum uiuum: ut inde fœliciter inebrietur. Tunc acceſsit ad angelos, propinans eis poculum illud ſalutare, ipſi verò nõ biberunt ex hoc, ſed tamen inde ſunt refecti. Deinde ad patriarchas & prophetas, quibus propinauit: dicens. Accipite quẽ deſyderaſtis, et tanto tempore expectaſtis: et facite me ad ipſum totis viribus anhelare: & poſt ipſum die noctuq; ſuſpirare. Poſt hoc ad Apoſtolos: dicens. Accipite quem toto corde tam ardenter amaſtis; & facite me eum ſuper omnia, intimis cordis mei medullis feruenter amare. Dehinc ad martyres; dicens. Ecce pro cuius amore ſanguinẽ ueſtrum fudiſtis, & corpora ueſtra mille mortibus tradidiſtis; & impetrate mihi omnes uires meas in eius expendere ſeruitio. Exin ad confeſſores accedens: ait. Accipite pro quo omnia reliquiſtis, & delicias mundi ſpreuiſtis, & facite me pro eius amore terrena omnia contẽnere: &

veræ religionis apicem conſcendere. Poſtremò ad virgines properans: dixit. Accipite cui virginitatem veſtram vouiſtis, & facite me pro eius amore, in caſtitate mentis et corporis perſeuerare: & in omnibus perfectè triumphare. Viditq; ibi virginem nuper defunctam, quàm benè agnoſcēs, quia familiaris ſibi fuerat, requiſiuit, ſi ita eſſet, vt ſibi dixerat: dum adhuc viueret. Cui illa reſpondit. In veritate omnia ita, ſunt modò centuplum inueni. Poſt hæc, cum ambitum cœleſtis palatij circuiſſet, rediјt ad dominum, qui ſcyphū illum accipiens, in cor animæ poſuit: & ſic deo feliciter eſt vnita.

Qualiter anima deo miniſtret.
Cap. XVI.

IN die ſancto palmarum, dum occupatam haberet memoriam de his, quæ Chriſtus Ieſus eadem die fecit in terris: incidit menti eius, vt ſcire
Matth: 21. *dem die fecit in terris: incidit menti eius, vt ſci-*
Mar. 11 *re cuperet: quid cōmodi beata Martha et Maria domino tunc apud ſe hoſpitāti præparaſſent. Tunc viſum eſt ſibi, quaſi eſſet Bethaniæ in domo earū. Viditq; domunculam ſeorſum paratā, in qua menſam collocatam & dominum in ea ſedentem inuenit. Cui interroganti, quid illa nocte egiſſet: reſpondit dominus. Ego in orationibus totam noctē*

iſtam duxi: ſed circa diluculum, paululum ſedens obdormiui. Et addidit. Talem mihi domum faciens in anima tua: in qua mihi miniſtrabis. Et ſtatim videbatur ei dominus ad menſam ſedere; ſiq; illi ſeruire. Et primò in ſcutella argentea mel ſibi antepoſuit, illum videlicet melleum amorem, qui eum de ſinu patris in præſepium reclinauit: quùm per totum mundum melliflui facti ſunt cœli. Secundò, ferculum de herbis violarum ſibi miniſtrauit, humilimam ſilicet Chriſti conuerſationem, qua ſe omni ſubiecerat creaturæ. Tertiò, detulit illi carnes agni, agni uidelicet, qui peccata totius mundi abſtulit. Quartò, appoſuit illi vitulum ſaginatum, ſpiritualis gratiæ videlicet pinguedine ſaginatum. Quintò, miniſtrauit ei hinnulum ceruorum, inæſtimabile videlicet deſyderium, quo dominus Ieſus omnibus diebus vitæ ſuæ vſq; mortẽ cucurrit. Sextò, obtulit ei piſcem aſſum, ipſum ſcilicet Chriſtum pro nobis paſſum. Septimò, cor Ieſu Chriſti, diuerſis optimi odoris conditum aromatibus, omnibus ſcilicet virtutibus refertum eidem præponebat. Propinauit etiam ei triplex poculũ. Primò, uinum album ualde bonum, per quod notabatur omnis labor ſanctiſſimæ conuerſationis Chriſti & omnium electorum. Secundò, vinum rubeum, Chriſti paſſionem & mortem figurans,

Tertiò, merum optimum & ſuauiſsimum, diuinæ ſcilicet dulcedinis intimam & ſpritualem infuſionem. Hæc omnia qualibet anima deo deuota ſpiritualiter miniſtrat, quûm iſta deuota recolit gratitudine: & pro his dominum Ieſum laudans benedicit. Et in nocte ſequenti quûm ex triſtitia ſomnum capere nequiret: audiuit angelorũ choros per
Pſ. 54. ſonare. Iacta cogitatum tuum in domino: et ipſe te enutriet. Viditq; dominum ſtantem coram ſe in viridi veſtimento. Ad quem illa. O amantiſsime domine, cum ſit tempus paſsionis, cur viridi ueſte indueris? Cui dominus. ſcriptum eſt, ſi in uiri
Luc. 23. di ligno hæc fecerunt, in arido quid fiet? In quo intellexit, quod ſi uirorem omnium virtutum Ieſum tam diuerſis affecerunt pœnis, quid tunc eis, qui aridi ſunt omnibus bonis, niſi æterna præparãtur tormenta? Tunc orauit dominum, vt ipſam inſtrueret, quid illi laudis offerre deberet: hoc tempore paſsionis. Qui oſtendit ei digitos manus ſuæ, per quos edocta eſt, ipſum quinq; modis laudare.

Quĩq; modis laudandus deus in tempore Paſsionis.

Et primò, ſuam in comprehenſibilem omniponten- tiam, qua ipſe præpotens dominus Angelorum et hominum: pro homine impotens eſt effectus. Secundo, eius inſcrutabilem ſapientiam, qua ipſe, qui eſt patris ſapientia: tanq; fatuus pro homine eſt reputatus. Tertio, ſuam ineffabilem charitatẽ, quæ

gratis odio habitus eſt pro ſaluandis. Quartò, ſuam benigniſsimam miſericordiam, qua tam crudeli morte pro homine eſt damnatus. Quinto, eius dulcedinem ſuauiſsimam, qua morte amariſsima pro homine eſt amaricatus.

De nomine Ieſu, et de eius vulneribus ſacris. Cap. XVII.

Feria tertia maioris hebdomadæ. In Miſſa. Nos autem gloriari oportet, dixit ad eam dominus. Attende verba hæc ſcilicet, in quo eſt ſalus &c. In cruce vera ſalus eſt: nec extra eam alia ſalus inuenitur. In quacũq; ergo anima crux ideſt tirbulatio non eſt: nulla patientia eſt. Et vbi patientia non eſt: ſalus non eſt. Vera etiam vita homini in cruce data eſt: quãdo ego uita animæ, morte amoris in cruce moriens, animam in peccatis mortuam viuificaui: & in me æternaliter viuere redonaui. Per crucem quoq; homini datum eſt, vt quoties per peccatum labitur, toties pœnitendo reſurgat: inſuper carnis reſurrectio & æterna libertas. Et cum in Epiſtola legeretur, Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, dixit Philip: 2. *ad dominum: Mi domine, quod eſt illud dulciſsimum nomen quod tibi donatum eſt à patre? Cui dominus. Nomen illud eſt, Saluator omnium ſeculo*

rum. Ego .n. ſaluator ſum et redemptor omnium, quæ ſunt & quæ fuerunt: & quæ poſtea futura ſunt. Ego ſaluator eorum, qui fuerunt in tempore, quo homo cum hominibus conuerſatus ſum. Ego ſaluator eorum qui fuerunt anteq; homo fierem. Ego ſaluator omnium qui mea documenta ſunt ſequuti, et qui mea adhuc uolunt ſequi ueſtigia, uſq; in finem ſeculorum. Et hoc eſt nomen meum digniſſimũ quod mihi ſoli ab initio ſeculi à patre præordinatũ eſt: quod eſt ſuper omne nomẽ. Cum autẽ deo gratias ageret pro eius vulneribus ſanctiſſimis, orans vt tot amoris vulnera animæ ſuæ infigeret, quot ipſe in corpore ſuo pertulit: dixit ad eam dominus. Quoties homo in rcordatione paſſionis meæ ex amore ingemiſcit: toties quaſi uernanti roſa uulnera mea leniter tangit, et ex inde amoris iaculum in animã illius reſilit: unde ſalubriter vulneratur.

De deſyderio animæ.
Cap. XVIII.

FEria quarta dum cantaretur Miſſa. In nomine domini omne genu flectatur, dixit ad dominum. O ſi nunc poteſtatem haberem, vt cœlum & terram et infernum cum omni creatura tibi dulciſſimo & fideliſſimo amatori cum omni reuerentia inclinarem. Cui dominus benignè reſpon-

dit. Cõmenda mihi quatinus hoc in memetipſo perficiam: quia ego contentiuus ſum totius creaturæ. Et cum me ipſum exhibeo deo patri per laudem ſiue gratiarum actionem: oportet, vt omnis creaturæ defectus per me & in me digniſsimo modo ſuppleatur. Benignitas .n. mea non ſinit, vt aliquid de his, quæ fidelis anima deſyderauerit, & per ſe nequiuerit: imperfectum relinquatur.

De Arbore crucis Chriſti.
Cap. XVIIII.

FEria quinta maioris hebdomadæ. In Miſſa. Nos autem gloriari oportet, vidit in medio eccleſiæ arborem pulcherimam, proceritate & latitudine ſua totam terram implentem, quæ ex tribus frondibus de terra ſimul ortis excreuerat: et frondes arcuatæ et reflexæ erant ad terram. Sub vna frondium erant beſtiæ, quæ veſcebantur ex fructu cadente ex arbore, deſignantes peccatores & homines beſtialiter viuentes: qui bonis dei ſine gratitudine fruuntur, ſicut beſtiæ nunq̃ ad ipſum per gratiarum actionem reſpicientes: à quo bona cuncta procedunt. Sub alia erant homines comedentes ex fructu arboris, per quos iuſti quiq; in eccleſia notabantur. In tertia, erant aues ſuauiſsimè modulantes, per quas ſanctorum animæ

deum ſine fine laudantium exprimebantur. Animæ etiam purgandorum in ſimilitudine capitum venientes, ex odore arboris reficiebantur. Aues verò quædam nigræ arborem circum volabant, ſed fumus magnus de ea egrediens; illas longius effugabat. Per aues nigras intellexit dæmones figurari: & quaslibet eorum infeſtationes, quas homo in nullo melius q̃; in memoria dominicæ paſſionis ſuperabit, quod per fumi aſperitatem figurabatur. Sacerdos quoq; qui miſſam celebrauit, veſtitus & præparatus erat folijs eiuſdem arboris: & ramuſculi pleni fructibus eũ circumpendebãt, in quo monſtrabatur, quod omnis qui diligit & recolit Chriſti paßionem: eius virtutes nobiliores acquirit. Et quicquid boni egerit: fructuoſius in eius meritum cedit. Omnium etiã corda fidelium in ſimilitudine ardentium lampadarum, annexa pendebant in ramis arboris, & liquor, qui in ipſis lãpadibus ardebat: ex arbore influebat. Per quod innuebatur, quod nullus deum diligere poteſt: niſi à deo ipſi gratia infundatur. In hoc verò quod ardentes erant, figurabatur, quod qui vult deum diligere: ad eius ſe teneat paßionem, ſæpius eam rememorando, quia in ea ſufficientem habebit materiã diligendi. Nihil. n. eſt quod ſic afficiat et ardeſcere faciat mentem: ſicut recordatio paßionis

domini noſtri Ieſu Chriſti.

De paßione domini noſtri Ieſu Chriſti.
Cap. XX.

FEria ſexta in paraſceues, in meditatione innumerabilium bonorum, quæ per paßionem ſuã deus homini fecerat: dixit ad dominũ. O dulcißime deus, ĩ quo poteſt tibi homo reſtituere, quod hac die pro ſalute eius capi & ligari dignatus es? Reſpondit dominus. Vt in vinculo veræ obedientiæ propter me voluntariè ſit ligatus. Et anima. Quid laudis tibi faciet, quod ĩmundis iudæorum ſputis es conſputus, & colaphis cæſus ĩmitibus? Cui dominus. Dico tibi in veritate, quod omnes, qui prælatos ſuos contẽnunt: in faciem meam conſpuunt. Si quis autem illam contumeliam mihi cupit emendare: prælatos ſuos debet honorare. Et illa. Quid gratiarum actionis o piißime, pro alapis accpies? Reſpondit. Vt homo præſcriptam cõſuetudinem, & ſtatuta ſuæ religionis fideliter & diſtrictè teneat. Et anima. Quid laudis o amice fidelißime, referes pro dolore, quem paſſus es, quũm imperiali capiti tuo corona ſpinea imprimebatur ita, vt ſpecioſa facies tua roſeo ſanguine tota velaretur? Reſpondit. Vt homo quũm tentatur, totis viribus fortiter reſiſtat, & quot tentationes in

Et cum regratiaretur deo pro deſiderio quod habuit, quũm dixit. deſyderio deſyderaui hoc paſcha manducare nobiſcũ, priuſquam patiar: reſpondit ei dominus. Vellem ꝙ omnes recordarentur illius mei deſyderij; ꝙ tãto tempore fuit protractum: & non deficerent, quum co•

rum deſy-
deria di-
ſpenſatio
ne diuina
protrahū-
tur:

meo nomine ſuperat: tot in meo diademate gemmas ponit precioſas. Et anima. Quid pro eo magiſtrorum ſapientiſſime, quod vt fatuus in veſte alba deluſus es? Reſpondit. Vt homo nullum quærat in veſtibus ornatum; nec precioſitatem: ſed eius ſolam neceſſitatem. Et illa. Quid gratiarum actionis pro eo o cordis mei vnice accipies, quod tā inhumaniter et acriter flagellatus es? Reſpōdit. Vt homo perfecta fidelitate et patientia mecū perſeueret tam in proſperis q̃; in aduerſis. Et anima. Quid amantiſſime pro eo accipies, quod pedibus cruci affixus es? Reſpondit. Vt homo omnia deſyderia ſua refundat in me, & ſi mecum nō poteſt deſyderium habere, habeat ſaltem voluntatem habendi deſyderium: & tunc pro facto accipiam voluntatem. Et anima. Quid pro eo, quod manibus cruci affixus es? Reſpondit. Vt homo in bonis operibus ſe exerceat: & cuncta mala opera propter me deuitet. Et anima. Quid tibi o dulcor vnice debet gratiarum actionis referri pro illo amoris vulnere quod, ī cruce accepiſti pro homine, quūm amor inuincibilis, ſagitta amoris cor tuū mellifluū perforauit, vnde ſanguis & aqua nobis in remedium profluxit, et ſic deuictus magnitudine amoris ſponſæ tuæ, mortuus es amoris morte? Reſpondit. Vt homo omnem voluntatem ſuam meæ con-

formet voluntati: & voluntas mea illi ſemper in omnibus & ſuper omnia ſit accepta. Dixit etiã ad eam dominus. Dico tibi in ueritate. Si quis ex deuotione paßionis meæ lachrymas effuderit, ſuſcipere volo: ac ſi pro me ipſe ſit paſſus. Et anima. Eya domine mi, & quali deuotione valeo ad has lachrymas peruenire? Reſpondit. Ego te docebo. Primò, cogita quali amicitia & dilectione inimicis meis obuiam proceßi, qui me cum gladijs & fuſtibus ad mortem quærabant tanq; latronem, & maleficum, ſed ego tanq; mater filio ſuo, illis obuiaui: vt eos de faucibus luporum eruerem. Secundo, cum alapis immitibus me cæderent, quot alapas mihi dederunt: tot dulcia oſcula animabus eorum præbui, qui vſq; in nouißimum diem per paßionem meam debent ſaluari. Tertio, quùm ferocißimè flagelabar, tam efficacem pro eis oratio nem ad patrem cœleſtem fudi: vt multi ex eis cõuerterentur. Quarto, cum ſpineam coronam capiti meo imponerent: quot ſpinas mihi impreſſerãt: tot gemmas in ipſorum coronam collocaui. Quinto, quùm me cruci clauis ferreis affigerent, & omnia membra mea diſtenderent ita, vt omnia oſſa mea dinumerari poſſent: tota mea diuina virtute attraxi animas eorum ad me, omnium videlicet, qui ad vitam æternam ſunt prædeſtinati, ſi- Pſ. 21.

Ioan. 12 *cut antè dixi. Quùm exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipſum. Sexto, quùm lancea latus meum aperirent, ex corde meo propinaui eis poculum uitæ: qui per Adam hauſerant poculum mortis, vt eſſent omnes filij vitæ æternæ & ſalutis in me, qui ſum vita. Cum verò corpus Chriſti*
Ioan. 14 *ſumpſiſſet: dixit ei dominus. Vis videre qualiter ego nunc ſum in te, & tu in me? At illa tacebat: quia indignam ſe reputabat. Statimq; vidit dominum tanq; perlucidam chryſtallum: & animã ſuam velut aquam puriſsimam & fulgidam per omne corpus Chriſti defluentem. Et dum illa multum admiraretur ſuper ineffabili dono, & ſtupenda dei erga ſe pietate: dixit ei dominus. Memento quod apoſtolus meus Paulus ſcribit. Ego ſum*
1 Cor. 15 *minimus apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari apoſtolus: gratia autem dei ſum id, quod ſum. Sic & tu nihil es in te, ſed id, quod es: per gratiam meam es in me. Cum autem ſecundum morẽ, crux ſepeliretur: dixit ad dominum. Nunc o cordis mei vnice, te ipſum ſepeli in me: & me tibi inſeparabiliter aſtringe. Et reſpondit ei dominus. Volo me ſepelire in te. In capite tuo volo eſſe fruitio ſenſuum tuorum, operatio manuum tuarum: & exercitatio omnium ſenſuum & actuum tuorum. Item alio quodam tempore in paraſceues, dum ſa-*

cerdos crucem ex more ſepeliret: hæc deuota vir go ait ad dominum. O animæ meæ præcordialis dilecte, vtinam anima mea nunc eſſet eburnea: ut in ea te decentiſsimè ſepelirem. Cui dominus. Et ego te in me ſepeliam, eroq́; ſupra te, ſpes & gau dium eleuans te. Intra te: vita viuificans, & ſa gena lætificans & impinguans animam tuam. A dextris tuis: ero laus perficiens omnia opera tua. A ſiniſtris: reclinatorium aureum ſuſtentans te in tribulationibus. Infra te quoq; firmamentum tenens animam tuam.

De paſsione domini noſtri Ieſu Chriſti. *Cap. XXI.*

ITem alia vice in ſancta nocte paraſceues, in oratione ſua dixit ad dominum. O dulciſsime domine, in quo tibi recōpenſare poſſum, quod hac nocte, pro me captus & ligatus es? Reſpondit. Cū deſyderio & bonæ voluntate. Hæc .n. duo ſunt velut ſerica ligamenta: cum quibus me animæ tuæ ſuauiter colligabis. Cor namq; beneuolum, & ad quæq; bona paratum de facili me admittit ſed co gitationes inutiles, quæ illi improuiſè aduenerint, quaſi nullius delicti ſunt, ſi tamen non ſponte & cum deliberatione poſtq́; aduerterit, eis immoratur, & adiecit. Cum me traderem in manus ini

quorum, ligauerunt me, & fecerunt in me quicquid voluerunt, linguam verò meam ligare non potuerunt, ego autem linguam meam ita ligaui: vt nullum verbum niſi quod vtile eſſet, loqui vellem. Sic homo quilibet poteſtatem habens loquendi bonum & malum; linguam ſuam ſic infrenare debet: vt nunquam uerbum loquatur, quo proximum ſuum lædat aut turbet. Circa primam verò, cum eſſet in recordatione quod Chriſtus benedictus illa hora præſidi iudicandus aſtitiſſet: dixit illi dominus. Veni mecum ad iudicium. Et aſſumens eam ſtatuit ante patrē cœleſtem ſecum. Tūc omnes angeli et ſancti cū omnibus creaturis de ea ſunt conqueſti. Seraphin accuſabant eam pro eo, quod diuinum amorem, quo à corde dei fuerat accenſa: ſæpe per teporem extinxerat. Cherubin proclamabant eam, eo quod ſecundum lumen diuinæ cognitionis, quo præ cæteris illuminata erat: ſe nō regebat. Throni conqueſti ſunt, quod pacatiſſimum regem, qui thronum ſuum in ea firmauerat: ſæpe inutilibus cogitationibus inquietādo turbaſſet. Dominationes dicebant, quod regi & domino ſuo cum debita reuerentia ſe non ſubdidiſſet. Principatus conquerebantur, quod diuinam nobilitatem, quæ ad imaginem dei facta eſt, nec in ſe nec in alijs eſſet venerata. Poteſtates accuſabant

eam:

eam: quod ſe diuinæ maieſtati cum reuerentia & tremore (vt dignum eſt) non inclinaſſet. Virtutes ream eam dicebant, quod ſe ipſam in virtutibus ſanctis debito modo nō exercitauerat. Archangeli querelam faciebant, quod dei ſuaui colloquio (prout debuit) non intendiſſet, nec per eos, qui ei miniſtri deputati ſunt, dilecto ſuo amatoria ſuſurria direxiſſet. Angeli lamentabantur, quod eorum miniſterio indignè vteretur. Beata virgo Maria querimoniam mouebat, quod dulciſſimo dei filio, quem ei in fratrem genuerat: infidelis extitiſſet. Apoſtoli clamabant, quod eorum doctriuam diligenti ſtudio non fuiſſet ſequuta. Martyres dicebant, quod pœnas & infirmitates inuita ſuſtineret. Confeſſores accuſabant eā, quod in religione & ſpirituali exercitatione negligenter egiſſet. Virgines querulabantur, quod tam amantiſſimum ſponſum totis viſceribus non amaſſet. Omnes creaturæ inſimul conclamabant, quod eis indignè vſa fuiſſet. Tunc benigniſsimus Ieſus dixit ad patrem. De omni querimonia ei obiecta, ego ad ſingula pro ea reſpondebo: quia eius amore me fateor eſſe captum. Cui deus pater dixit. Quid te ad hoc coegit? Reſpondit Ieſus. Mea electio, quia eam ab æterno mihi prælegi. Tunc anima confidens de gratia tanti fideiuſsoris ſui:

confidenter accepit eum in ter brachia ſua dicens ad patrem. Ecce præſento tibi pater colende humillimum filium tuum, qui tibi pro me plenè perſoluit: quicquid per ſuperbiam deliqui. Ecce præſento tibi filium tuum manſuetiſsimum, qui pro me ſatiſfecit quicquid peccaui per iram. Præſento tibi filium tuū amantiſsimum, qui eſt amor cordis tui, qui plenè ſuppleuit, quicquid odio aut inuidia deliqui, largiflua ipſius liberalitas exoluit omne, quod auaritia peccaui. Sanctiſsimum eius ſtudium omnem acædiam meam emendauit. Summa eius abſtinentia omnem intemperantiam meam reſecauit. Eius innocentiſsimæ vitæ puritas emundauit omne, quod malis cogitationibus, verbis, aut factis deliqui. Eius perfectiſsima obedientia, qua factus eſt tibi obediens vſq; ad mortem, omnem inobedientiam meam deleuit. Eius demum omnimoda perfectio omnem imperfectionem meam excuſat. Eſto igitur pater ſancte placabilis ſu per nequitia mea, tātæ placationis recepta hoſtia, & clementi pietate indignationem tuam auerte à me & recipe me in gratiam tuam ſempiternam. Ad tertiam, vidit dominum ineffabili claritate et decore circundatum ita, ut à planta pedum uſq; ad verticem capitis, ſingulari ornatu totus floreret, & hoc pro eo, acceperat: quod tam inhuma

niter pro nobis fuerat flagellatus. Habebat etiam in capite ſertum ex diuerſis & pulcherrimis floribus mirificè factum, & hoc pro eo, quod diuerſos & acerrimos dolores in capite ſuſtinuit. Ad ſextam, vidit dominum baiulantem ſibi crucem, & omnem congregationem aduenire, & ſingulos grauamina & onera ſua in ſimilitudine frondium virentium, cruci ſuper ponere, quæ omnia dominus benigniſsimè ſuſcipiens, patientiſsimè & lætiſsimè cũ cruce ſua portabat: ſed et ſorores omnes dominum portare iuuabant. Circa nonam verò, apparuit ei dominus in gloria mirabili & maieſtate, habens torquem aureum, in quo erat clipeus aureus continens omnia paſsionum domini genera, qui totum pectus domini cõtexit, ſuperius habens lilium candidiſsimum: inferius roſam pulcherrimam. Per hunc clipeum figurabatur victorioſa Chriſti paſsio. Per liliũ, eius innocẽtia. Per roſam: eius ſumma patientia. Cum autem ſorores ad ſanctam cõmunionem accederent, dominus vnicuiq; perſonæ dabat cor ſuum diuinum, repletum optimis aromatibus, ſuauiſsimè redolentibus. Aromata etiam illa ex omni parte cordis, vt nouellulæ viridiſsimæ & florentes erumpebant ita, vt totum florigerum eſſe videretur. Singulæ etiã accedentes prædictum clipeum à domino acceperunt

ita, vt in cuiuslibet pectore idem clipeus miro decore fulgeret. Per quod figurabatur quod dominus Ieſus ſuæ paßionis, victoriam ſuis fidelibus contulit: vt ſit eis munimen et robur contra omnes inimicos. Hora verò, qua ſanctam crucem oſculari debebat: ad vulnus pedum diuinitus inſpirata: dixit. En omnia deſyderia mea tibi domine mi infigo, & ea tuis adapto deſyderijs: vt exinde plenè purificata, nunquam de cætero terrenis valeant implicari. Ad vulnus dextræ manus, ait illi dominus. Hic reconde omnia ſpiritualia tua, quæ in ſpirituali habitu neglexiſti: vt per mea tibi plenè reſtaurentur. Ad ſiniſtram: ait. Hic omnes pœnas tuas & aduerſa repone, vt ex vnione paßionum mearum dulceſcant: & deo in ſumma patientia redoleant, ſicut ueſtis cum ſpeciebus aromaticis condita, eundem ſpirat odorem, & mica panis melli intincta: eiuſdem ſuſcipit ſuauitatē. Ad vulnus cordis: ait. In hoc vulnere amoris quod tantæ amplitudinis eſt, quod cœlum & terram et omnia quæ in eis ſunt, complectitur, omnē amorem tuum ad meum diuinum amorem recolloca, vt exinde perficiatur: & ſicut ferrum candens cum igne: in vnum redigatur amorem. Ad veſperas, vidit dominum quaſi de cruce depoſitum & beatam virginem Mariam ipſum in ſinu

tenentem: ſibiq́; dicentem. Accedens oſculare ſalutifera vulnera dulciſsimi filij mei: quæ pro tui ſuſcepit amore. Cordi eius tria oſcula imprime, agendo illi gratias pro effluxu illo: qui ab æterno in te & in omnes electos effluxit, effluit, & effluet ſine fine. Ad vulnus dextræ manus, in oſculo gratias age, quia ipſa eſt adiutrix & cooperatrix omnium bonorum operum tuorum. Ad ſiniſtram verò: quia ad ipſam tutum ſemper inuenies refugium. Vulnus dextri pedis oſculare in gratiarum actione pro feruenti deſyderio, quo omnibus diebus vitæ ſuæ poſt te in ſiti cucurrit. Siniſtri autem pedis vulnus cum gratitudine oſculare: quia ibi ſemper inuenies remiſsionem peccatorum omnium. Habeas etiam triplex vnguentum, quo ipſum animæ tuæ dilectum inceſſanter perungas. Primò, oleum oliuæ, per quod miſericordia exprimitur, in operibus videlicet miſericordiæ et pietatis te exercendo. Secundo, oleum myrrhinū, vt ſcilicet tribulationes & infirmitates gaudenter & fideliter pro dei amore ſupportes. Tertio, vnguentum balſaminum, videlicet, vt omnia dona dei cum gratitudine, pro eius laude ſolius ſuſcipiens, nihil inde ſperes aut velis: ſed in ipſum refundas, qui eſt fons & origo omnium bonorum. Circa completorium: beata virgo Maria ad eam

dixit. Accipe filium meum: & ſepeli eum in corde tuo. Et ſtatim illa cor ſuum vidit in ſimilitudine ſarcophagi argentei, cooperculum aureum habentis, per argentum: cordis munditia figurabatur, per aurum verò: amor, qui deum in anima tenet et conſeruat. Cum igitur Chriſtum intro (ut ſibi videbatur) includeret: dixit ad eam. Hic me ſemper in corde tuo inuenies. Et ecce do tibi ſecuritatem æternæ vitæ, & omnibus pro quibus oraſti hodie.

Quid deo in homine maximè complaceat. Cap. XXII.

INterrogauit dominum aliquando hæc deuota virgo: quid ſibi in homine maximè complaceret. Cui reſpôdit dominus. Vt quilibet cum magna gratitudine perpendat, & iugi memoria reuoluat omnium virtuoſorum operum exercitia, quæ in terris operatus ſum, & omnium pœnarum & iniuriarum, quas ſuſtinui triginta tribus annis. In quanta vixi miſeria; & quanta mihi exibebatur contumelia à mea creatura, et tandem mortuus ſum in cruce morte amariſsima, ob amorem animæ hominis, quam mihi in ſponſam mercatus ſum precioſo ſanguine meo. Hæc omnia unicuiq; ita ſint accepta & grata: ac ſi propter ipſius ſo-

lummodo ſalutem ſim perpeſſus.

Qualiter homo Chriſti paßionem celebret. Cap. XXIII.

HAEc Chriſti ancilla docuit ſorores recolere memoriam paßionis Chriſti: dicens. Qui dominicæ paſsionis colendam memoriam frequentare deſyderat, feria ſexta, vice horarum, legat Pſ. 29.
ſepties pſalmum. Exaltabo te domine, quoniam ſuſcepiſti me, & poſt circulum anni, habebit tot verſus: quot vulnera in corpore ſuo dominus Ieſus habuit. Item legat (ſi poteſt) vnam paſſionem domini, et agat gratias deo inter cætera, quia de vulnere ſiniſtri pedis, profluxit nobis lauacrũ ſalutis: & à dextro, flumen pacis. A manu ſiniſtra: produxit nobis fluenta gratiarum, à dextra: medicamen animarũ. De vulnere quoq; dulciſsimi cordis eius: erupit nobis aqua viuificans, & vinum inebrians, ſanguis ſcilicet domini noſtri Ieſu Chriſti: & omnis boni copia infinita.

De glorioſa reſurrectione domini noſtri Ieſu Chriſti. Cap. XXIIII.

IN ſancta nocte lætabundæ reſurrectionis domini noſtri Ieſu Chriſti, hæc deuota ancilla vidit ipſum quaſi in ſepulcro reſidere, & agnouit

diuinitus illuſtrata, qualiter deus pater totam ſuam diuinam potentiam humanitati Chriſti in eius reſurrectione dediſſet, filijq; dei perſona omnem ſuam clarificationem, quam ab æterno à patre habuit, ſpiritusq; ſanctus omnem ſuam dulcedinem, bonitatem & amorem plenè infudit eius glorificatæ humanitati. Dixitq; ad eam dominus. In mea reſurrectione, cœlum & terra cum omnis creatura mihi miniſtrabant. Et illa. Quomodo (inquit) cœlum tibi ſeruiuit? Reſpondit dominus. Omnes ãgelici ſpiritus in obſequio mihi aderant, & ſtatim uidit multitudinem angelorum circa ſepulcrum ita, quod à terra vſq; ad cœlum circundarent dominum quaſi murus. Tunc illa dixit. Eya et quid angeli tibi illa hora decantabant? Reſpondit. Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus deus ſabaoth. Et, eya nunc ſimul iubilemus &c. Et licet non eadem verba: tamen eiuſdem ſenſus cecinerunt. Vidit etiam congregationem totam circa dominum, de cuius corde plures radij in ſingulas perſonas tranſibant, & dominus cuilibet manum ſuam extendens: glorificationem ſuam donabat: dicens. En claritatem meæ glorificatæ humanitatis vobis tribuo, quam cordis munditia et dulci inuicem ſocialitate, ac vera patientia conſeruabitis: & in die iudicij in vobis cum gloria mi-

hi præſentabitis. Mane autem quùm ſepulcrum viſitaretur, deuoto corde dixit ad dominum. Eya dilecte mi ex milibus electe, doce me, quo vnguē to te animæ meæ amatorem perungam. Cui domi nus. Accipe illam inenarrabilem ſuauitatē, quæ ab æterno de meo diuino corde profluxit in patrē & ſpiritum ſanctum, de qua tibi conficias vinum. Secundo illam dulcedinem, qua indulcoratum eſt cor virgineum matris meæ præ omnibus cordibus, de qua tibi facias mel dulciſsimū. Tertio, deuotionem illam, qua ante paſsionem eram in feruentiſsimo deſyderio, deuotione & amore, de qua tibi conficias balſamum peroptimum. Continuò vidit ſe habere pyxidem plenam vnguento re dolente odore mirifico, de quo (ſecundum cordis ſui deſyderium) perunxit dominum, & vulnera eius roſea, animæ vera medicamina eſt oſculata. Poſt hæc oſtendit ei dominus domum pulcherrimam, excelſam & amplam nimis, intra quam aliam uidit domunculam factam ex lignis cedrinis, laminis argenteis valde ſplendidis interius coopertā, in cuius medio dominus reſidebat. Hāc domum cor dei eſſe recognouit, quia ſæpius in tali forma ipſum viderat. Domuncula verò interior animam illam figurabat, quæ ſicut ligna cedrina imputribilia ſunt: ita immortalis eſt & æterna.

Vnguentū ſpirituale

Domus cordis

Huius domus ianua erat ad orientẽ poſitã, habẽs peſulum aureum, in quo cathenula pendebat, tendens in cor dei ita, vt cum ianua aperiretur: cathena illa cor dei cõmouere videbatur. Per ianuam: intellexit deſignari deſyderium animæ. Per peſſulum: eius voluntatem. Per cathenulam vero: dei deſyderium, quod ſemper animæ deſyderium & voluntatem præuenit, excitat & trahit ad deum. Et ait dominus ad eam. Sic anima tua ſemper eſt in corde meo incluſa: & ego in corde animæ. Et licet in intimis tuis me contineas ita, vt intimior ſim omni intimo tuo, attamen diuinum cor meum ita excellens et ſupereminens eſt animæ tuæ: vt omnino inattingibile tibi videatur. Quod per huius domus altitudinem & amplitudinem denotatur. Anima vero orabat dominum, quatinus eam ad ſui digniſsimi corporis ſuſceptionem dignaretur præparare. Cui reſpondit. Dum vis communicare, diligenter animæ tuæ domũ perſpicias: ſi parietes eius læſi ſunt aut infecti. In orientali parte conſidera, q̃; ſtudioſa aut q̃; negligens fueris in omnibus, quæ ad dominum pertinet ſcilicet in laude dei & gratiarum actione, in oratione & obſeruatione mandatorum eius. In parte auſtrali perpende, quam deuota fueris matri meæ & omnibus ſanctis, quantum profeceris ex eorũ

ſui ipſius diſcuſsio ãte communionem facienda Pro præparatione

exemplis & doctrina. In occidentali parte intuere diligenter, quantum profeceris ſiue defeceris, q̃; obediens & humilis fueris, q̃; patiens ad iniurias, & ſi regulam tuam & ſtatuta tuæ religionis bene tenueris: ſi vitia in te exterminaueris, et virtutes inſerueris. In parte aquilonari attende, quam fidelis toti fueris eccleſiæ, qualiter erga proximum egeris, ſi ipſum intima dilexeris charitate. Si omnia aduerſa eius tua reputaueris, ſi de bonis eius congratulata fueris, ſi bonum exemplum laudabiliter cõuerſando ei præbueris. Si pro peccatoribus & animabus fidelium ac omnibus indigentibus deuotè oraueris. Et ſi quam maculam aut læſionem in omnibus his inueneris: per humilem pœnitentiam & ſatisfactionem ſtudeas reparare. De hinc anima domum ipſam intrans: ad pedes domini cecidit, quam ille dignãter eleuans; in ſinu ſuo poſuit, & ter oſculans, dixit. Do tibi oſculum pacis ex parte omnipotẽtiæ, ſapientiæ, & bonitatis meæ. Cum autem imponeretur introitus miſſæ (Reſurrexi) dominus benigniſsimè illi blandiebatur: dicens. Ecce reſurrexi, & adhuc tecum ſum: perpetuò tecum permanſurus. Poſuiſti ſuper me manum tuam ideſt intentionem omnium operum tuorum: & alijs multis ineffabilibus verbis eam eſt allocutus. Anima autem ad tan-

tā domini dignationem ſtupefacta, humili reuerentia à deo ſe elongare volebat, quam dominus magis ſibi attrahens: dicebat. Eya ſaue mihi, vt tecum ſim: & fruar delicijs meis. Et cum (gloria in excelſis deo) cantaretur, deſyderabat deum pro his et omnibus donis ſuis collaudare. Tunc ait dominus ad eam. Si laudare me cupis, glorifica me in vnione illius reuerentiſſimæ gloriæ, qua pater omnipotentia ſua cum ſpiritu ſancto me glorificat. Et in vnione illius altiſſimæ gloriæ, qua inſcrutabili ſapientia mea patrem & ſpiritum ſanctum glorifico. Spirituſq; ſanctus ſua bonitate incõmutabili patrem & me digniſſimo modo extollit. Poſt tertiam autem dum fieret proceſſio, licet valde debilis eſſet, cum baculo à ſororibus in proceſſionis fine ſe circunduci faciebat. Et vidit dominum Ieſum in ſimilitudine diaconi, indutum dalmatica, vexillum rubeum manu geſtantem, ſecum & cum qualibet perſona euntem. Et cum miraretur cur dominus in ſimilitudine diaconi cū ſingulis appareret: reſpondit. Sicut diaconus altari deſeruit, ſic ego aſſiſto deo patri meo; ad omne imperiū eius paratus. Nunq; etiam aliquis dyaconus tam ſtudioſus in miniſtrando fuit; ſicut ego cuilibet animæ fidelis miniſter aſſiſto.

Exercitiū ī miſſa dū canitur, gloria in excelſis.

Qualiter dominus congregationi miniſtrauit. Cap. XXV.

EAdem die ad veſperas. Dum cantaretur antiphona. Regina cœli. Vidit beatam virginem Mariam in choro ſtantem, & virgineum filium ſuum in dextera tenentem: cuius veſtes trifolijs & ſcutis ſplendidis erant plenæ. Per trifolia: intellexit excelentiam venerandæ trinitatis deſignari, quæ tota ſua diuinitate in Chriſto corporaliter habitabat. Per ſcuta, quorum acuties ad terram erat verſa, et latitudo erecta: intellexit quod Chriſti conuerſationis & paſſionis auſteritas bono fine eſſet quaſi terminata, ſed gaudium & gloria, quam pro ea accepit: in cœleſti regno fulgida & dilatata: triumphum obtinet ſempiternum. Habebat etiam dominus coronam ſplendidam, de qua etiam ſcuta pendebant: in quibus perlucidæ cruces erant, de quibus ſingulis quinq; radij exibant. Dixitq; dominus. Ecce adhuc præparatus adueni, ut vobis in ſero miniſtrem. Quinq;.n. fercula vobis in hac cœna miniſtrare volo, quorum primum, eſt gaudium, quod hodie diuinitas de mea habuit humanitate: & humanitas de diuinitate. Secundum, eſt gaudium, quod habui, quũ amor pro vniuerſis amaritudinibus, quibus me in paſſione repleuit, ineſtimabili gaudio & ſuæ dul

Coloſſ. 2.

cedinis affluentia, omnia membra mea penetrauit. Tertium, eſt gaudium, quod habui, quùm patri meo precioſiſsimum pignus ſcilicet animam meam cum omnibus animabus, quas redemi, cum ineffabili tripudio præſentaui. Quartum, eſt gaudium, quod habui, quùm pater meus pleniſsimam poteſtatem mihi tribuit honorandi, ditandi & remunerandi amicos meos, quos tanto labore, & tam caro precio acquiſiui. Quintũ, eſt gaudium, quod habui ex eo, quod pater meus redemptos meos ſede perenni mihi ſociauit, vt ſint de cætero cohæredes mei: & menſæ meæ conuiuæ. Cæteri enim reges cum amicis ſuis epulantes, peracto conuiuio,
Ioã. 12. 17 iterum ab inuicem ſeparantur, ſed amici mei, vbi ego ſum: manſionem perpetuã mecum habebunt. Siquis horum gaudiorum me admonuerit, pro primo gaudio (ſi deſyderauerit) dabo ei ante mortẽ eius, guſtum meæ diuinitatis. Pro ſecundo; dabo ei intellectum cognitionis. Pro tertio: animam eius in extremis ſuis patri meo præſentabo. Pro quarto: fructum & participationem paſsionum & omnium laborum meorum illi tribuam. Pro quinto: iucundum ſanctorum ei ſocietatem dabo:

Laus de gaudijs domini noſtri Ieſu Chriſti. Cap. XXVI.

Laudo, adoro, magnifico, glorifico & benedico te Ieſu rex bone in illo ineffabili gaudio, quod habuiſti, quando tua beatiſsima humanitas in reſurrectione glorificatione ſuſcepit á patre diuinæ clarificationis, & in ſe omnibus electis glorificationem æternam in ſua diuinitate tribuit, per illud ineffabile gaudium rogo te o amantiſsime Ieſu dei et hominum mediator, vt eandem, quā tunc mihi dediſti claritatem, tua gratia conſerues illæſam: in die iudicij cum gaudio aſſumendam. Laudo, adoro, magnifico, glorifico, & benedico te Ieſu rex bone in illo ineffabili gaudio, quod habuiſti, quando charitas inæſtimabilis, quæ te in mūdū de ſinu patris depoſuit &, ſubiacere fecit omnibus pœnis & miſerijs, in glorioſa reſurrectione tua, omnia membra tua repleuit honore & gaudio incomparabili: ſicut in cruce repleuerat dolore incomparabili. Per illud inæſtimabile gaudium rogo te o amantiſsime Ieſu dei & hominum mediator, vt dones mihi lumen intellectus & cognitionem animæ: vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Laudo, adoro, magnifico, glorifico & benedico te Ieſu rex bone in illo ineffabili gaudio, quod habuit tua ſanctiſsima anima, quando ſe in precium et pignus æternæ redemptionis, cum copioſa multitudine beatarum animarum

ex inferni clauſtris cum inæſtimabili gaudio te proſequentium, deo patri præſentauit, per illud inæſtimabile gaudium rogo te o amantiſsime Ieſu dei et hominum mediator, vt in hora mortis meæ, ſis animæ meæ pignus ſufficiens, & precium perſoluens omne debitum meum, & placa mihi deum patrem iudicem æquiſsimum: & perduc me cum gaudio ante conſpectum ſuum. Laudo, adoro, magnifico, glorifico & benedico te Ieſu rex bone in illo ineffabili gaudio, quod habuiſti, quādo à deo patre data eſt tibi plena poteſtas remunerandi, ditandi & honorandi, ſecundum liberalitatis tuæ magnificentiam, omnes cōmilitones et amicos tuos, quos tam glorioſo triumpho de tyrānica poteſtate liberaſti. Per illud ineffabile gaudium rogo te o amantiſsime Ieſu dei & hominum mediator, fac me participem omnium laborum et operum tuorum; & tuæ glorioſæ mortis: ac beatiſsimæ paſsionis. Laudo, adoro, magnifico, glorifico & benedico te Ieſu rex bone, in illo ineffabili gaudio, quod habuiſti, quando deus pater donauit tibi omnes commilitones & amicos tuos in æternam hæreditatem poſsidendos: & impleta eſt illa benigniſsima petitio tua & voluntas, qua di-
Ioā. 12. 17 *xiſti, volo vt vbi ego ſum: illic ſit & miniſter meus, vt omne gaudium & omne bonum, quod*

tuipſe

tuipſe es: ipſorum eſſet ſine fine. Per illud ineffabile gaudium rogo te o amantiſſime Ieſu dei & hominum mediator, vt dones mihi illud beatiſſimum electorum tuorum conſortium, vt te habeã vnà cum eis vnicum gaudium & omne bonum: hic & in æternum. Amen. Poſt hæc orabat dominum, vt in illo iucundiſſimo gaudio, quo deo patri laudes & gratias egit, quùm in reſurrectione ipſum immortalitate dotauit: etiam pro ſe laudes offerret pro eo, quod eandem imortalitatis dotem in reſurrectione futura & ipſa ſimiliter eſſet acceptura. Cui dominus reſpondit. Hoc modò pro te & quolibet meorum tam libenter, ac ſi pro me ipſo facio, quia membrorum meorum gloriam, nõ aliam quam meam reputo. Ideo quicquid honoris membris meis confertur: mihi collatũ gaudeo. Sed & anima illa, pro qua dum in terris eſt, laudes & gratias perſoluo: multam exinde gloriã & gaudium in cœlis conſequetur. Cogitante etiã illa, quæ eſſet glorificatio humanitatis Chriſti, qua deus pater filium ſuum in reſurrectione dotaſſet: reſpõdit dominus. Cordis mei glorificatio hæc eſt, quod deus pater dedit mihi omnẽ poteſtatem in cœlo & in terra, vt eſſem in humanitate omnipotens; ſicut in diuinitate, vt poſſem remunerare, honorare, ſublimare, & omnem amorẽ exhi Matth; ultimo.

bere amicis meis, ſecundum omnē voluntatis meæ libertatē. Glorificatio quoq; oculorum & auriū mearum hæc eſt, quod omnē indigentiam & tribulationem meorum fideliū perſpicere valeo vſq; ad fundum, & omnes gemitus, deſyderia & preces eorum audire & exaudire. Toti etiā corpori meo hæc gloria donata eſt, vt ſicut in diuinitate vbiq; ſum: ita & in humanitate cum omnibus & ſingulis amicis meis, vbicunq; volo: eſſe poſſum, quod nullus alius quantumcunq; præpotens potuit; ſed nec poterit in æternum.

Qualiter deus cum anima maneat.
Cap. XXVII.

FEria ſecunda paſchæ, cum audiret in euan-
Luc. 23 gelio. Mane nobiſcum domine, quoniā aduesperaſcit, ait ad dominū. O dulcor vnice, mane quæſo mecum, quia dies vitæ meæ inclinata eſt vſq; ad veſperā. Cui dominus. Ego tecum manebo quaſi pater cum filio, diuidendo tecum cœleſtē hæreditatem, quā tibi mercatus ſum meo precioſo ſanguine, cū omni bono quod tibi operatus ſum in terris triginta tres annis, hæc omnia propriè dabo tibi. Secundo, tecum ero quaſi amicus cū amico, & ſicut homo, qui fidelē habet amicū, ad illum in omni neceſſitate confugit, illi ſemper adhæ

*rens, ita & tu ad me, qui tibi ſum amicus præ omnibus fideliſsimus, in omnibus ſemper tutũ habeas refugium, & in ualidam te dimitte ad me: quia fideliter ad omnia iuuabo te. Tertio, tecum ero ſicut ſponſus cũ ſpõſa, inter quos nulla poteſt eſſe diuiſio: niſi infirmitate disiungantur. Sed ſi tu infirmaberis, ego ſum medicus peritiſsimus ab omni infirmitate ſanans te, & inter nos nulla poterit eſſe diuiſio: ſed æterna copula & inſeparabilis vnio. Quarto, tecũ manebo velut ſocius cũ ſocio, quorũ ſi vnus graue onus portauerit, ſtatim alter onus illud tollit: & cũ eo ſupportat. Sic ego omnia onera tua tecum portabo tam fideliter: vt omnia ſint tibi leuiter ſuſtinenda. Tunc recordata eſt, quod aliquando dixerat ei dominus. Ecce animã meam do tibi in ſociam & ductricem, illi omnia tua cõmitte, quùm triſtaberis, illa conſolabitur te: & in omnibus fideliter iuuabit te. Et ait ad dominũ. Eya mi domine, vita animæ meæ, ignoſce mihi dux mitiſsime, quod tam nobiliſsimã ſociam tã rarò ad opera mea inuitaui, nec eius auxilium in omnibus (vt debui) requiſiui. Reſpondit dominus. Ego tibi indulgeo, & anima mea te cũ manebit vſq; in finẽ vitæ tuæ, & tunc ſuſcipiet te in illa vnione, qua ſpiritũ meum in manus pa- Luc. 23
tris in cruce moriens cõmendaui: & patri meo cõ*

leſti te præſentabit. Poſt hæc orabat dominum pro quadam perſona ſibi fideli & familiari, vt omnia quæ ſibi dederat: quaſi propria illi daret. Continuò vidit eandē in præſentia Chriſti ſtare, & dominus accipiens manus illius: omnia dona illius tribuit ei in propria. Illa verò pro his omnibus dominum laudare plurimùm affectans; rogabat eū, vt ſuæ cœleſti familiæ in laudem & gloriā ſuam, conuiuium per magnificū præpararet. Et ſtatim vidit conuiuium excellentiſſimè præparatum: & dominū veſte nuptiali amictum, quæ erat viridis coloris, plena aureis roſis. Et ait dominus ad illam. En ego roſa ſum ſine ſpina natus: multis ſpinis ſum punctatus. Tota etiā cœleſtis familia veſtibus domini ſimilibus erat veſtita. Cum autem nuptiæ eſſent paratæ: ait dominus. Quis in hoc cōuiuio officium geret luſoris? Et cū hoc dixiſſet, accipiens animā in manus ſuas, fecit eam ſaltare, de quo omnes conuiuæ nouā lætitiam percipiētes: deo gratias egerunt, eo quod tā iucundum ſe animæ illi exhibebat. Anima verò amatorem ſuū amplexibus ſtringens intimæ charitatis: ante menſam conuiuantium ipſum ducebat, viditq; mirificum ſplendorē à facie domini procedere: qui totā cœleſtem aulam perluſtrabat, & omnes ſcyphos, qui in illa regali menſa erant: replebat. Et ſic claritas

ſuæ amabilis faciei facta eſt ipſorum ſatietas, gaudiũ et amœnitas, quos fœliciter ſatiat ĩ ſe ipſo, pro tali cõuiuio, ſit laus et honor uirginis filio. Amẽ.

Quod dominus dedit ei cor ſuum in pignus. Cap. XXVIII.

FEria quarta poſt paſcha, dum imponeretur Miſſa. Venite benedicti, ineffabili quadam Matth. 25 *& inuſitata replebatur lætitia: dixitq́; ad dominum. O ſi eſſem vna de illis nimium benedictis, qui hanc tuã dulciſſimã audituri ſunt vocem. Reſpondit dominus. Etiam pro certo ſcias, doq́; tibi cor meum in pignus, quod tecum ſemper habeas: & in die illa, quùm hoc tuum deſyderium implenero: in teſtimonium mihi illud reconſignes. Do etiam tibi cor meum in domum refugij, vt in hora defunctionis tuæ, nullam uiam præter q́; in cor meum in perpetuum pauſatura declines. Hoc donum: vnum ex primitijs donorum dei in ipſam erat, cœpitq́; extunc mira deuotione circa diuinum cor domini Ieſu affici, & ferè quotieſcunq; dominus ſibi apparebat: aliquod ſpeciale donum à corde eius accipiebat, ſicut patet in multis locis libri huius. Sæpe etiam ipſa ſimpliciter ita dicere ſolebat. Si omnia ſcribi deberent, quæ à benigniſſimo dei corde mihi collata ſunt bona: matutinalis*

libri excederent quantitatem.

De domo cordis. Cap. XXIX.

OCTaua die reſurrectionis Chriſti, vidit iterum ſupradictam domum, quam viderat in die ſancto reſurrectionis, quam dum intrare vellet: duos angelos pro foribus ſtantes inuenit, extenſis in altum alis ita, vt in ſummitate alæ ſe inuicem contingerent, ſuauiſſimum (vt cithara) ſonum reddentes, & hoc præ gaudio, quo aduentum animæ expectabant. Anima verò quùm intraſſet, ad pedes domini cecidit; ſalutans & deoſculans roſea vulnera ipſius. Cum autem ad uulnus cordis veniſſet, vidit illud apertum, in ſimilitudine ardentis flāmæ magnum emittens vaporem. Dominus autem animam benignè ſuſcipiens: ait. Intra & perambula longitudinem & latitudinem diuini cordis mei longitudinē ideſt æternitatem bonitatis meæ. Latitudinem ideſt amorē & deſyderium, quod ab æterno habui ad tuam ſalutem. Hanc longitudinem et latitudinem perambula ideſt propriè tibi vendica, quia verè tuum eſt omne bonum, quod inuenis in corde meo. Et inſuflauit: dicens. Accipe ſpiritum ſanctum. Tunc illa beata anima ſpiritu ſancto repleta, de omnibus membris ſuis igneos radios progredi vidit: ut

quilibet eorum, pro quibus orauerat: radium ex ea in ſe ſuſciperet. Et dum cõmunicaſſet, cor ſuum cum dei corde, velut maſſam auri, in vnum liquatum vidit, & audiuit dominum dicentẽ ſibi. Sic cor tuũ mihi perpetuò adhærebit, ſecundum omne deſyderium & delectamentum tuum.

Qualiter deus pater filium aſcendentem ſuſcepit. Cap. XXX.

GLorioſæ aſcenſionis Chriſti die, vidit ſe eſſe in monte quodam, vbi apparuit ei amor in ſpecie virginis plucherrimæ, amictæ viridi pallio; dicens ad animam. Ego ſum illa, quam tu in ſancta nocte natiuitatis Chriſti vidiſti. Ego ſum, qui filium dei de ſinu patris in terrã adduxi: & nunc ipſum ſuper cœlos cœlorum exaltaui. Et adiecit. Noli timere, adhuc .n. maiora videbis. Et ſubito veſtes eius mutatæ ſunt in mirabilem decorem, erantq; plenæ aureis cancellis, & in quolibet cancello imago Regis ſedebat: & hæc verba deſuper erant conſcripta. Qui deſcendit: ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos. Epheſ.4. *Omnia etiam opera noſtræ redemptionis in illis imaginibus miro opere expreſſa intellexit. Dominus etiam Ieſus ſimilibus indumentis veſtitus erat, excepto, quod in eius cancellis amor velut regina ſedebat, ſicq; deus ſe ipſo*

1. Ioã. 4. erat veſtitus. Quia deus, charitas eſt, & charitas deus eſt. Amor autem accipiens dominum in brachia ſua, eleuauit eum: dicens. Tu es ille ſolus, in quo omnẽ virtutis meæ potentiam plenè peregi. Anima verò interrogabat virginem, quæ eſſent eius brachia, quibus deum tranſuexiſſet. Et reſpondit. Brachia mea nihil aliud ſunt: q̃; omnipotentia, & voluntas mea. Omnia. n. poſſum, ſed non omnia quæ poſſum facere expedit. Ideoq; inſcrutabilis ſapientia omnia mea ordinat & diſponit. Magnus etiam ſanctorum exercitus ibi viſus eſt, inter quos Iohannes baptiſta, & Ioſeph nutritius domini, & Symeon, qui Chriſtum ſuſcepit in templo; erant primates: qui omnes cum domino aſcendebant. Beatiſsima etiam virgo Maria mater domini viſa eſt in prædicto monte, veſtita talibus indumentis; ſicut ſupra de amore diximus: & de ſubtus; tunica rubei coloris, quæ dixit ad animam. Omnes paſsiones, quas pertuli cum filio meo & propter filium meum: in ſilentio & patientia ſupportaui. Inceſſabile quoq; deſyderium ad deum pro nouella eccleſia habui: et ſæpe ad ſpecialem miſericordiam ipſum inclinaui. Et ſic adhuc amantis animæ deſyderijs ſe denegare non poteſt. Indeq; eſt, quod anima deum amãs in terris magis affligitur, quã in cœlis. Tunc ani

ma ad monebat eam gaudij, quod habuit in aſcenſione filij. Reſpondit illa. In gaudio illo cognoui omne gaudium et beatitudinē, quam in aſſumptione mea perceptura eram. Dominus itaq; Ieſus cū inæſtimabili iubilo aſcendens, ſtabat ante patrem, repræſentans illi in ſe ipſo animas omnium electorum, tā præſentium quæ ſecum aſcenderant: quā omnium illic futurorum, & ſingulorum opera, paſſiones, & merita, ita vt ij, qui modò ſunt in ſtatu peccati, tali forma in ipſò apparerent: quales futuri ſunt in cœlo. Animæ autem amantes, & quæ pro Chriſto multa patiēter tolerant: in corde eius ſpeciali decore fulgebant. Reliquæ verò: in cæteris mēbris elucebant. Pater ergo cœleſtis filium ſuum digniſſimo honore ſuſcipiens: ait. Ecce do tibi omnem affluentiā deliciarum, quas in exilium mundi deſcendens: quaſi reliquiſti, cum pleniſſima poteſtate cōmunicandi eas affluentiſſimè omnibus animabus: quas modò tecū præſentaſti. Dominus autem Ieſus omnem pauperiem, opprobria, contemptum, & pœnas, omnemq; laborē, et opera humanitatis ſuæ, quaſi nouum et acceptiſſimum quoddā munus nunq; antea in cœlo viſum, licet in diuinitate præcognitum, deo patri obtulit. Quæ ille ita ſibi intraxit, ſuæq; diuinitati vniuit: ac ſi ea in propria perſona pertuliſſet. Spiritui quo

qi ſancto omnẽ amoris fragrantiam, quo eius cor ſanctiſſimum vltra omnem extimationẽ ardebat: & ſeptem dona ſpiritus ſancti cum pleniſſimo fructu attulit, quia in ſolo Chriſto ſpiritus ſanctus
Eſaie. 11. hæc dona perfectè operatus eſt. Iuxta illud Eſaie. Requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & replebit eum ſpiritus timoris domini. Angelicis autem ſpiritibus lac humanitatis ſuæ ipſis antea inexpertum, nouam ſcilicet & ſuperaffluentem dulcedinẽ in ſua delicioſa humanitate, ad augumẽtum gaudij & gloriæ eorum donauit. Patriarchis & prophetis poculum dulciſſimum propinauit, in quo omnia deſyderia eorum ſatiauit: & àmodo in ſe quieſcere facit. Innocentum verò, & qui pro veritate mortui fuerant, vt Iohannes baptiſta, Ieremias & alij quã plures, eorum paſſiones ſua glorioſa paſſione & morte illuſtrando, & nobilitando, quaſi deaurauit. Dona quoq; plurima terrigenis, Apoſtolis videlicet & alijs fidelibus cõtulit, internam ſcilicet conſolationem, ſpiritualium cognitionem, & amoris ſui inflammationem. Dehinc dominus ad animã conuerſus dixit. Ecce aſcendi triumphator glorioſus: et omnia grauamina tua mecum aſſumpſi. In quo intellexit, quod

omnium hominum neceſsitates & tribulationes ei ſunt præſentes, & ipſe in nobis & pro nobis pugnando, glorioſè triumphat. Et adiecit. Sicut dixi diſcipulis meis. Deus pater dedit poteſtatem humanitati meæ in cœlo et in terra faciẽdi omnia, quæcunq; uoluero, dimittendi hominibus peccata ſua, reſiſtendi omnibus quæ hominem infeſtant; inclinandi meam diuinitatem hominibus, ſecundum omnes indigentias eorum. Tunc anima procidit ad pedes domini, adorans eum, & gratias agens, quam ille dignanter alloquens: ait. Surge regina mea. Omnes .n. animæ, quæ ſunt amori meo iunctæ: erunt reginæ. Anima verò inter alia dixit ad dominum. Quid eſt amantiſsime deus, quod quùm me cogito morituram, paruam, aut nullã inde concipio lætitiam, quùm tamen q̃ plurimi cum magno gaudio & deſydeiro horam illam præſtolentur? Reſpondit dominus. Hoc ſpeciale bonum tibi feci, quod ſi mori deſyderares, in tantum cor meum diuinum ad hoc indulcares & allliceres: vt hoc tibi denegare non poſſem. Et illa. Et quid eſt, quod homines mori adeò formidant, etiã quandoq; valde perfecti? Ego quoq; licet miſerabilis, quùm me morituram recordor: expaueſco. Cui dominus. Quod homines mori timent: ex parte carnis eſt, quia anima carnem ſuam diligẽs;

Matth: ultimo.

mortis amaritudinē tolerare abhorret. Tu vero quid times, cum cor meum in pignus æterni fœderis, & in domum refugij, atq; habitationem æternam acceperis? Ipſo etiā die, dum cantaretur reſponſorium. Omnis pulchritudo domini exaltata eſt ſuper ſydera, ſpecies eius in nubibus cœli: & nomen eius in æternum permanet alleluia. In affectu mentis dixit ad dominum. Mi domine, à modo omnis pulchritudo & decor tuus ablatus eſt à nobis. Reſpondit dominus. Nequaquā. Ego .n. cum tota pulchritudine & fortitudine, cum omni laude & gloria mea & amore ſum vobiſcum: & manebo in æternum. Et cum in proceſſione cantaretur. Et benedixit eos. Vidit in aere ſupra conuentum, manum miri decoris congregationem benedicentem: & dominum audiuit dicentē. Illa benedictio, quam tunc feci ſuper diſcipulos meos, æterna eſt: & nunq; auferetur à vobis.

Luc. ultimo.

De triplici operatione ſpiritus ſancti in apoſtolis et qualibet anima fideli. cap. XXXI.

INſtante feſto pentecoſtes, hæc dei humilis ancilla, cum ſe receptaculum ſpiritus ſancti exhibere deſyderaret: dixit ad eam dominus. Spiritus ſanctus tria in apoſtolis operatus eſt. Primum

eſt, quod eos in ſuo aduentu, diuino amore ſuccendens: penitus permutauit ita, vt qui antea timidi, et infirmi, ac ſeipſos erant amantes, tam fortes effecti ſunt: ut etiam mori non timerent, imò gaudium & gloriam reputabant: ſe pro dei amore aduerſa tolerare. Secundum eſt, quod ſicut ignis ferrum purificat, & ſibi ſimile efficit: ſic ſpiritus. ſ. apoſtolos ab omni ſorde purgatos: in ſeipſo ad plenum ſanctificauit. Tertium eſt, quod ſicut aurū igne liquatum, ſicui formæ infunditur, eius in ſe imaginem repræſentat: ita ſpiritus ſanctus apoſtolos igne ſui amoris liquefactos, in deum refluere fecit: et eos diuinæ imagini conformauit, vt in ipſis impletū videretur illud pſ. Ego dixi, dij eſtis: & filij excelſi omnes. Similiter qui ſpiritus ſancti aduentum deſyderat: hæc tria in ſe operari exoret, ſcilicet vt ſpiritus ſanctus eum in ſuo amore contra mala defendat: et ad queq; bona corroboret, auferendo ab eo omnem humanum timorem, quatinus pro dei amore aduerſa patienter, et gaudenter ſuſcipiat. Oret etiam, per ſpiritum ſanctum donari ſibi remiſſionem omnium peccatorū, et vt igne diuini amoris penitus reſolutus, totus in deum tranſire, eiq; fœliciter vniri, ac conformari mereatur. Item ſpiritus ſanctus tria pocula apoſtolis propinauit, quibus eos tam affluenter reple

Act. 5

Pſ. 81.

uit: vt non imeritò eos ebrios populus extimaret. Primò namq;, eos vino amoris tam habundanter repleuit: vt velut ebrij ſeipſos obliuioni traderēt, non iam honorem, aut aliquod corporis cōmodum appetentes: ſed dei ſolius gloriam requirentes. Secundo, eos mero diuinæ conſolationis & dulcedinis redundare fecit, ut nullum deinceps terrenum gaudiū uel ſolatium eos à deo ſeparare poſſet. Tertio, amore cœleſtiū quaſi nectareo poculo eos inebrians: quaſi inſanire fecit, vnde ineffabili deſyderio accerſi, per mille mortes (ſi fieri poſſet) ad dominū tranſire cupiebant. His ſimiliter modis anima fidelis à ſpiritu ſancto potari ſe poſtulet, vino .ſ. diuini amoris, quod ſui ipſius obliuionē pariet: ut nihil honoris, ſiue cōmodi (niſi quātum ad dei gloriam) ſibi requirat. Oret etiam ſe interra ſpiritus ſancti ſuauitate repleri: ut nunquam terrenum gaudium, ſiue delectamētum ſibi ualeat cōplacere. Amore quoq; cœleſtium et ſpiritualiū ſe oret inflāmari, quo toto corde ad deum anhelās: mortem & omnia pœnalia pro nihilo ducat.

De vinea domini ſcilicet anima iuſti.
Cap. XXXII.

IN vigilia ſancta feſti pentecoſtes, dum celebraretur officium miſſæ ipſius vigiliæ. Vidit

rege gloriæ dominum Ieſum cum multitudine angelorum & ſanctorum in eccleſia reſidentem, et de corde eius tot radios micantes: quot ibi erant ſancti, ita ut inquemlibet illorum ſpiculum tenderet radiorum. Cum autem cantaretur tractus, vinea facta eſt, hæc deuota virgo in affectu mentis Eſaie. 5.
dixit ad dominum. O vtinam tibi cor meum vineam ſecundum cor tuum electam, omni tempore poſſem exhibere. Cui dominus. Omne, quod deſyderas: ualeo perficere. Et ſtatim vidit ipſum intra cor ſuum uelut in uinea pulcherrima deambulare, quem multitudo angelorum velut maceria incircuitu protegebant. In orientali parte, erat vinum puriſſimum & dulce nimis, ſignificans operum fructus: quos homo deo in pueritia offert. In parte aquilonari, erat vinum rubeum & forte, figurans laborem, quo homo in adoleſcentia uitijs & tentationibus reſiſtit: et cõtra uirtutẽ inimici fortiter pugnat. In parte meridionali, uinum feruens & optimum fuit, deſignans virtutum opera; quæ in iuuentute homo in dei perficit amore. In occidentali parte, erat uinum nobiliſſimum & nectareum: exprimens deſyderia diuerſa, quibus ad deum & cœleſtia homo in ſenectute totis uiribus anhelat, nec non pœnas & tribulationes multimodas; quibus tunc aliquando moleſtatur. Intel

lexitq; diuinitus, iuſtum hominem, dei talem eſſe uineam, deumq; in eo ualde delectari: qui ab infantia uſq; ad mortem, per omnem uitam ſuam, deo laudabiliter uiuit. In medio autẽ uineæ, erat fons, iuxta quem dominus in ſolio reſidebat, & riuus cum ĩpetu de corde eius in fontem illum defluebat, de quo dominus omnes, qui ſpritualem regenerationem cupiebãt: aſpergebat. Super hunc fontem in circuitu, ſeptẽ clipei mirifici operis eminebant, deſignantes ſeptem dona ſpiritus ſancti, quæ ideo ſcutorum ſpecies prætendebant: quia nemo ſpiritus ſancti dona abſq; labore graui poterit poſſidere. Et dum cantaretur, Rex ſanctorum, videbatur ſibi, quod dominus cum gloria ad fontẽ baptiſmatis, proceſſionaliter iret, habens à dextris Iohannem euangeliſtam, à ſiniſtris verò Bartholomeum, quã gloriam illi ob ſingularem cordis & corporis munditiã, qua præditi fuerant: ſunt adepti. Petrus autẽ & Iacobus minor ad fontem dominum præibant, propter ſpecialem epiſcopatus dignitatẽ: quam præ alijs apoſtolis habuerunt. Glorioſa virgo Maria etiã ibi à dextris filij, viſa eſt in veſtitu deaurato pleno ſpherulis, quæ ſine intermiſſione circũuoluebantur, per quod figurabatur inceſſabile deſyderium, quod habuit ad eccleſiæ nouellæ ſalutem. De corde quoq; dei

fons

ſons viuus lympidiſsimæ aquæ fluebat. Anima verò acceſsit ad matrem domini, rogans eam, vt obtineret ſibi in hoc fonte ablui ab omnibus peccatis. Tunc illa dignanter animã in vlnas ſuas accipiens, dei cordi eam applicauit. Illa verò quinquies cor eius oſculabatur. In primo oſculo: ſenſit ſe ab omnibus maculis emundari. In ſecundo: pacem dei veram ſibi dari. In tertio: ſicut amica chariſsima, ſpeciali dulcedine donata eſt. In quarto: intra cor dei rapta eſt, vbi vidit & agnouit omnes electos, omnemq́; creaturam. Dixitq; ad eam dominus. Quid vltra vis, aut velle poteris? En omne bonum, quod cœlum & cœli cœlorum ſe gaudent obtinere: tuum eſt. Tu autem bonum tuum modò omnibus ſanctis ad placitum tuum cõmunica. At illa cum inæſtimabili gaudio dominum circumplexa, beatæ virgini ipſum primò cõmunicauit: deinde omnibus ſanctis. In quinto: viſa eſt cum domino ad menſam opulentiſsimã ſedere; & cum ipſo conuiuari, dixitq́; dominus. His quinq; modis cor meum quotidie oſculari debes: ſicut in matre dilectam filiam habente: perpendere potes. Primò .n. filiæ faciem contemplatur, & ſi quã depræhenderit maculam: continuò diluit eã. Secundò, caput eius ornat corona. Tertiò, nimio ducta affectu: ipſam oſculatur. Quar

tò introducit eam in cubiculum ſuum: & oſtendit illi copiam diuitiarum ſuarum. Quintò reficit eam optimo, quo poteſt, cibo. Eodem modo animam ad me venientem per pœnitentiam aſſumo in gratiam meam, omnesq; ſordes illius detergo. Poſt hæc coronam illi impono, quum varijs virtutibus eam adorno, ſicq; mihi in ea complacens: ex incõtinenti amore, ſpecialis dulcedinis oſculum ſibi infigo: Dehinc familiari admiſſu oſtendo illi per fœlicem experientiam diuitias deliciarum mearum. Ex hinc reficio eam refectione optima, corporis ſcilicet & ſanguinis mei ſacramento.

Quòd quinq; modis homo cor ſuum deo offerat. Cap. XXXIII.

IN die ſancto pentecoſtes, dum Miſſa. Spiritus domini, imponeretur: audiuit vocem ſibi dicentem. Audi o anima mea, & exulta, quia ſi ſpiritus domini totum orbem repleuit: tu excluſa non eris. Tunc illa intra ſe cogitare cœpit, hæc dei verba non ſunt: ſed forte animæ tuæ ſe ipſam conſolantis. Ad hæc dominus reſpondens: ait. Mea ſunt verba hæc, quia anima tua mea eſt: et
1 Reg. 18 anima mea tua eſt. Sicut enim de Ionatha & Dauid legitur, quod animæ eorum fuerunt conglutinatæ; ita & multo fortius anima tua animæ meæ

glutino amoris adhæret: ſicut hodie tibi demonſtrabo. His dictis, datæ ſunt animæ alæ candidæ, quibus ad alta volitabat: & vſq; ad magnũ ſplendorem perueniens, ibidem requieuit. Angelus autem domini accedens ad eam, reuerenter ſalutabat: dicens. O nobilis uirgo præpara te: quia ſpõſus tuus iam venturus eſt. At illa dixit. Ne ſcio quo me ordine præparẽ, ſed ſi dignè præparata inueniri debeo: oportet vt ipſe animæ meæ dilectus me ſibi præparet. Et ſtatim ipſe rex gloriæ forma & decore ſponſi indutus adueniens; veſte candida eam induit: dicens. Accipe veſtem innocentiæ meæ: quam tibi do in præmium æternale. Deinde roſei coloris veſte eã exornans: ait. Hanc veſtem ex diuerſis paſsionibus meis, tuisq; doloribus tibi paraui. Amor etiam ſtabat coram domino in ſpecie virginis pulcherrimæ, quam domi nus amanter intuens: ait. Tu es, quod ego ſum. Cogitante autem anima, quod amictum non haberet: amor expandit pallium ſuum, & dominum animãq; ſimul contexit ita, vt anima ipſo amore amicta videretur. Pallium verò amoris deſubtus varium erat, & tantæ amplitudinis: vt multitudinẽ hominum contegere ſufficeret: et ait. Quot fila ſunt in pallio meo: tot conſolationes ad me venientibus dono. Anima vero tota in dilectum eli

quabatur ita: vt quaſi vnus ſpiritus cum eo videretur facta. Tunc ait illi dominus. Modò quodcunq; vis: iube. Et illa. Domine mi, verbum iuſſionis mihi non conuenit, tamen ſi aliquid poteſtatis haberem: omnem creaturā excitare vellem, ut te tota virtute, pulchritudine, & ſcientia laudaret. Ad offertorium autem dum cantaretur, Ti
Pſ. 67. bi offerēt reges munera, dixit ad dominum. Quid modò o præcordialis dilecte tibi offeram, quùm nihil omnino, quod te deceat, habeam? Layci terrenam ſubſtantiā ſuam, Religioſi ſe ipſos & deuotionem ſuam tibi offerunt. Cui dominus reſpondit. Cor tuum quinq; modis mihi offeras: & acceptiſſimum munus mihi obtuliſti. Primò, illud offeras velut arram ſponſalem cum omni fœlicitate cordis tui, orans, vt per amorem cordis mei, emendem quicquid in te per infidelitatem uitiaſti. Secundò, ſicut monile cum omni delectatione cordis tui, quod ſi omnes delectationes habere poſſes: propter me totaliter abdicares. Tertiò, velut coronā cum omni honore, quem in hoc ſæculo & in futuro obtinere poſſes, vt ego ſolus gloria tua ſim: & corona. Quarto, quaſi phialam aureā: vnde mei ipſius dulcedinem bibam. Quinto, ſicut vaſculum optimi electuarij: vnde meipſum comedā. Ad tertiam verò dum. Veni creator ſpiritus, ino

poneretur. Vidit ſpiritum ſanctum in ſpecie aquilæ per chorum volantem, de cuius corde tot radij procedebant, quot perſonæ aderant, & vnum quẽq; radium mille angeli miniſtrabãt. Columba etiam niuea, dum conuentus ad cõmunionem accederet, cuiuslibet perſonæ cor roſtro ſuo tetigit: & flammam ignis in eo accendit. In quorundam verò cordibus ignis extinguebatur: in quorundã autem conualeſcens, in ignem maximum augebatur. Alia etiam vice, hac die, apparuit ei dominus Ieſus aureo amictus pallio ideſt ipſo amore, ad ſingulas in choro perſonas benignè accedens; & de corde ſuo mellifluo ſpiritum ſanctum in ſimilitudine ſuauiſsimi et leniſsimi vẽti vnicuiq; ĩmittebat.

De fonte viuo beatiſsimæ Trinitatis. Cap. XXXIIII.

IN feſto ſanctiſsimæ Trinitatis, hæc deuota uirgo in oratione poſita deſyderabat, ut omnes ſancti, omniſq; creatura ipſam reuerendiſsimã Trinitatem, omni laude digniſsimam, pro omnibus ſibi impenſis bonis benedicerent & laudarent. Subito autem ſpiritus eius rapitur: & vſq; ad thronum gloriæ deducitur, viditq; ipſam beatiſsimã Trinitatem in ſimilitudine fontis viui, ex ſe ipſo ſine initio exiſtentis: & in ſe omnia continentis.

Qui mirâ amœnitate effluens, & tamen in ſe indeficiens permanens: irrigabat & fructificare faciebat vniuerſa. Anima autẽ tota amore liquefacta, in ipſam diuinitatem influebat. Ipſa verò ineffabili delicioſitate animã reinfluebat. In hac vnione, inter alia, hæc ſibi dicta verba audiuit. Ecce cum omnipotentia mea es vmnipotens effecta, & ſi omnia vis, quæ ego volo: omnipotentiæ meæ ſemper vnita eris. Attraxit etiã te mea inſcrutabilis ſapientia, quod ſi omnia opera meæ tibi placuerint: diuinæ ſapiẽtiæ ſemper vnita eris. Amor quoq; meus ſic te penetrando perfudit, vt non tuo, ſed cum meo amore me diligere videaris. In qua vnione mihi perpetuò adhærebis. Cum autem cõmunicaſſet, tanto gaudio ſpiritus replebatur: vt ex hoc in magnam admirationem verteretur. Tunc ait dominus. Vade cõmunica gaudium tuum omnibus ſanctis. At illa acceßit primò ad beatam virginem Mariam, & cõmunicans ei gaudium ſuum: dixit. O glorioſißima uirgo in augmentum omnis gloriæ tuæ, hoc per magnum cordis mei gaudium tibi cõmunico. Cui illa reſpondit. Et ego gaudium meum omne tibi do, quo præ omni creatura in terris vel in cœlis vnq; ſum gauiſa. Deinde, apoſtolis gaudium ſuum cõmunicauit. Cui illi dixerunt. Et nos omne gaudi

um, quod cum dilectiſſimo domino & magiſtro noſtro vnquã habuimus, tibi donamus, ſpecialiter cum ab ipſo de morte ad ſe uitam æternam vocaremur. Poſt hoc, martyribus, qui & dixerunt. Et nos omne gaudium, quod in igne, & ferro, & mille mortibus ex eius amore habuimus: tibi donamus. Exin, confeſſoribus, qui dixerunt. Et nos omne gaudium, quod in laboribus & rigore ordinis vnq; pro Chriſti amore habuimus: tecum participamus. Vltimò virginibus gaudium ſuum cõmunicauit: quæ dixerunt. Et nos omne gaudium, quod ſpeciali prærogatiua in deo ſponſo noſtro poſſidemus: tibi donamus. Videbatur etiam ſibi, quod virgines præ alijs ſanctis iucundiſſima quadam delicioſitate deo fruerentur, & quod ſingulari ſuauitatis ſapore ipſos influeret, intellexitq; verum eſſe, quod legerat. Gaude manna virginale, manna nouum & regale, quod nulli ſapit hominum, niſi palato virginum. Vidit etiam inter choros virginum, venerabilis memoriæ ſororem ſuam prædilectam Dominam Abbatiſſam, ornatã varijs virtutibus velut reginam, quæ ſororẽ ſuam accipiens, et ante thronũ dei deducens: cãtabat. Hæc eſt ſpecioſior ſole, et cedris ſublimior. Sap. 7.

De veſte nuptiali. Cap. XXXV.

Matth. 22 DOminica vigeſima poſt ſanctã Trinitatem. Quùm in euangelio legi audiret. Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Dixit ad dominum. Mi dilecte, quæ eſt veſtis, ſine qua nullus ad tuas nuptias poterit peruenire? Mox oſtendit illi dominus ueſtem ex candido purpureo, & aureo coloribus mirificè contextam: dicens. Hæc eſt veſtis nuptialis, facta ex candore mundi cordis, ex purpura humilitatis, & auro diuini amoris. Quicunq; hanc veſtem habere voluerit, oportet eum habere cor mundum, vt ſcilicet ſponte ſua nullam malam cogitationem cordi ſuo inhærere permittat, & quicquid videt aut audit: in bonam partẽ ſemper accipiat. Humili etiã & dulci corde prælatis ſuis, imò omni creaturæ ſe propter deum ſubijciat. Deum etiã tota mente diligat, & omnẽ creaturã reſpectu dei vilipendat, nec aliquid ſic diligat, quod ſeipſum à deo elongare faciat, quin illud omnino abijciat & fugiat.

In quo anima deo aßimilari valeat.
Cap. XXXVI.

Ierem. 29. DOminica vigeſima ſecunda poſt ſanctam Trinitatem. Dum cantaretur miſſa. Dicit dominus. Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis, dixit illi dominus. Si mea chariſſima, mi-

hiq; ſimillima eſſe volueris: in his verbis meis imitare me. Sicut enim ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis: ſic & tu ſemper ſtudeas habere cor quietum, & pacificas cogitationes, cum nemine contendens: ſed patienter & humiliter cædens. Sicut etiam inuocantes me exaudio, ſic & tu exorabilem te & beneuolam omnibus exibeas. Studeas etiam educere captiuitatẽ omnium, ideſt vt omnibus tribulatis et tentatis auxilium & ſolamen impendas.

De trina interrogatione. cap. XXXVII.

IN vigila apoſtolorum Petri & Pauli, dum legeretur in euangelio. Simon iohannis diligis me plus his? Cum his verbis intenderet, facta in exceſſu mentis: uidit ſe coram domino. Qui dixit ei. Interrogo & ego te: ad quod mihi iuxta veritatem conſcietiæ tuæ reſponde. Eſt nè aliquid in mundo adeò tibi charum, quod propter me (ſi in tua eſſet poteſtate) nolles relinquere? Cui illa. Tu ſcis domine, quod ſi totus mundus meus eſſet cum omnibus, quæ in eo ſunt: pro amore tuo integrè et ex toto deſerere vellem. Quod dominus ſtatim ita acceptauit: ac ſi omnia illa ex proprio reliquiſſet. Iterum dominus eam interrogauit. Eſt Ioan. ultimo.

nè vllus labor, ſiue obedientiæ iugum tam grande, quod pro amore meo nolles ſubire? Reſpondit. Etiam domine, omnia pro tuo nomine parata ſum tolerare. Iterum dominus. Eſt nè aliqua pœna tam grauis, quam pro amore meo ferre recuſares? Reſpondit. Mi domine, tecum & cum tuo adiutorio omnibus pœnis parata ſum ſubiacere. Quæ omnia dominus ita acceptauit: ac ſi hæc opere cõpleſſet. Et iterum dominus. En tria hominum genera tibi commendo, ſcilicet paruulos, innocentes, & ſimplices, qui per agni innocentiam deſignati ſunt: vt eos inſtruas, & ad mei cognitionem & amorem pertrahas. Secundo, tribulatos & abiectos, qui ſimiliter per agni mãſuetudinem deſignãtur, vt eos conſoleris: & auxilium, quantum potes, eis impendas. Tertio, totam eccleſiam, quã deſyderijs continuis & orationibus indefeſſis, oculis miſericordiæ meæ præſentabis:

Quòd beata Maria magdalena ſe inuocantibus, pœnitentiam poteſt impetrare.

Cap. XXXVIII.

IN feſto beatæ Mariæ magdalenæ, viſus eſt ab hac deuota uirgine dominus Ieſus quaſi per chorum iret, habens Mariam magdalenam ſub bra-

chio ſuo dulciter amplexatam. Quod illa vidēs: mirari cœpit, eo quod ſcriptum eſt. Incorruptio facit proximum eſſe deo. Ad quod dominus reſpondit. Secundum magnitudinem amoris, quo circa me in terris afficiebatur: etiam nunc in cœleſtibus mihi ſociatur. Tunc illa. Eya dilectiſſime deus doce me qualiter te in hac dilectrice tua collaudem. Cui dominus. In vulneribus, quæ amor in paſſione mea ſibi impreſſit. Quùm .n. penderem in cruce iam proximus morti, ipſa oculos meos; quibus ſæpe miſericorditer eam reſpexeram, videns claudi in morte: cor eius quaſi ſagitta trāſigebatur. Item quùm aures meas, quas toties precibus eius inclinaueram, videret morti appropinquare: & etiam quùm audiret & videret miſeriam & fletum matris meæ, quam mei cauſa valde diligebat, nimio compaſſionis eius affectu, cor eius vulnerabatur. Tertiò, quùm os meum, à quo tot dulcia, conſolatoria, & inſtructoria ſuſceperat verba, & ſpecialiter quùm dixi, fides tua te ſaluam fecit: vade in pace, videret in morte palleſcere, nec amplius ei loqui valere: iterum quaſi gladio eſt confoſſa. Quartò, dum cor meum, à quo tam dulciſſimum ſuſceperat amoris affectum ita, ut quoties me uideret, toties cor eius ſingulari affectu circa me afficeretur, uideret lancea tranſ-

Luc. 7.

ſixum: iterum amor cordi eius graue vulnus inſixit. Quintò quùm me uitam ſuam, gaudium & omne bonum ſuum, ſine quo videbatur ſibi nō poſſe viuere, videbat mortuum tradi ſepulturæ: anima eius nimio amoris affectu quaſi præmortua, ſuprà quàm dici poſſit, ineffabili dolore vulnerata tabeſcebat. Iterum in feſto eodem, vidit ipſam coram domino ſtantem, cuius cor igneum ſolari radiabat claritate, ac in omnia eius mēbra ſe tranſfundebat. Intellexitq; diuinitus hunc ignē in corde eius tunc primitus accenſum: quum à Chriſto

Luc. 7. audiuit, Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace. Qui ignis ita in ea conualuit, ut omnia, quæ poſt modum ageret, ſeu cogitaret: in ignem illum verterentur. Per hoc quoq; intellexit, quod qui liber diuino amore ſuccenſus omnia, quæ agit, cogitat, ſeu loquitur, aut patitur, velut ligna igni iniecta, in amoris ignē cōmutata augmentant ipſū in eo, Quòd ſi etiam aliquid cremabile ingeritur, ut ſunt venialia peccata, totum hoc igne abſumitur: et in nihilū redigitur, eritq; anima illa tota ignea ita, ut in exitu eius de corpore: maligni ſpiritus eidem nullatenus valeant appropinquare. Illi vero, qui hoc igne diuini amoris nō flagrant, quicquid agunt, nō ſic ignitur. Inſuper mala quæ agunt, velut onera eos grauāt: quum decedunt.

Videbatur etiam ſibi quaſi de pedibus domini excreuiſſe duas arbores miræ viriditatis, onuſtas fructu pulcherrimo, ſignificantes fructum pœnitẽtiæ, de quibus beata maria magdalena omnibus ad ſe veniẽtibus, carpendo fructum hylariter dabat. In quo deſignari agnouit, quod beata Maria hãc prærogatiuã ad pedes domini conſequuta eſt, vt omnibus ſe inuocantibus, veræ pœnitentiæ gratiã ualeat impetrare. Et ait biata Maria. Omnis, qui deo gratias agit pro lachrymis, quas ad domini Ieſu pedes fudi, & pro opere, quod exercui, qùm pedes eius ſanctiſſimos manibus ablui, crinibus terſi, & pro amore, quem tunc animæ, & cordi meo infudit, & totam me repleuit ita, ut præter ipſum, nihil amare poſſem, orans ut lachrymas veræ pœnitentiæ obtineat, & diuinum amorem ſibi infundat: ipſi meritis meis benigniſsimus dominus effectum petitionis ſuæ veraciter dabit ita, vt ante mortem ei peccata ſua dimittat: & in dei amore proficere faciat.

De Aſſumptione glorioſæ virginis Mariæ. Cap. XXXIX.

IN vigilia Aſſumptionis dulciſſimæ virginis Mariæ, hæc Chriſti ancilla in oratione poſita, viſa eſt videre, quod eſſet in domuncula, in qua

beata virgo lectulo decumbebat, linteis candidiſſimis cooperta, illa verò dixit ad eam. Vnde tibi o virginea mater languor ineſſe poterat, quùm te omnino extraneam fuiſſe credimus à dolore mortis? Quæ reſpondit. Quùm eſſem in oratione & recordatione omnium beneficiorum dei erga me, et inæſtimabili deſyderio laudandi ipſum, & gratias agendi accenderer: ſuperuenit nouus ardor diuini amoris excitans in me ineffabile deſyderium videndi ipſum, & eſſe cum ipſo, quùmq; ſeraphicus ille ardor in tantum excreſceret, quod vltra vires corporis non haberem: lecto decubui, omnesq; angelorum ordines mihi miniſtrabant. Seraphin nanq; amorem mihi miniſtrabant: ignem illum diuinum in me magis ac magis ſuccendentes. Cherubin quoq; lumen cognitionis mihi miniſtrabant ita, vt omnia, quæ mihi dominus, filius, & ſponſus meus facturus erat, magnalia mente prævidérem. Indeq; fuit, quod dixi orans, ſpiritus tenebrarum non occurrat mihi, ne fortè eius præſentia lumen illud cœlicum aliquatenus fuſcaretur. Throni requiem illam, qua in deo fruebar: imperturbatam in me conſeruabant. Dominationes in illa reuerentia mihi aſtabant ſeruientes: qua principes reginã et matrem ſui regis venerantur. Principatus ſua præſentia præcauebant, vt nullus

eorum, qui ad me veniebant, aut loqui aut facere auderet: quo mentis meæ quies turbari poſſet. Po teſtates dœmonũ cateruas, ne illuc appropinquare auderent; cohercebant. Virtutes ad cumulum ho noris mei, virtutibus meis veſtiti & decorati me circunſtabant. Angeli & archangeli ſuo obſe- quio faciebant, vt omnes, qui aderant: in maxi ma reuerentia & deuotione mihi ſeruirent. Vi- ditq; in ſpiritu, qualiter angeli glorioſam virgi- nẽ circunuolabant, et ſeraphici ſpiritus in flatu be atiſſimæ virginis deambulabant. Cũq; beatum Iohannem euangeliſtã contra beatam uirginẽ ſtan tem vidiſſet: dixit ad eum, per illud munus, quod deo obtuliſti; quùm eius genitricis pio amore, omni bus charis carere voluiſti: rogo, vt impetres mi hi, omne charum pro Chriſti amore reſpuere: vt ipſum toto corde ualeã diligere. Cũ beatus Iohan nes reſpondit. Ego ex verbis matris domini mei tantam conſolationem habebam: quod nunquam verbum ex illa audiui: quin ſpeciale gaudium perciperem.

Qualiter beata virgo Maria aſſumpta fuit. Cap. XXXX.

IN ſancta nocte Aſſumptionis, quùm eſſet in choro. Videbatur ſibi, quod iterum eſſet cum

beata virgine decumbente. Ecce (vt ſibi intelligere dabatur) altitudo infinitæ maieſtatis inclinabat ſe in abiſſum infimam, ſcilicet humillimum cor beatiſsimæ virginis; & torrente ſuæ diuinæ voluptatis illud tã abundè ĩpleuit: vt anima eius ſanctiſsima tota abſorpta tranſfunderetur in deũ. Sicq́; Mariæ anima ſanctiſsima cũ ineffabili gaudio à corpore exiens ab omni dolore extranea, & in vlnas filij lætiſsimè aduolans, ac ſupra cor eius amantiſsimè & delicioſiſsimè ſe reclinans: vſq; ad thronum excellentiſsimæ trinitatis cum feſtiuo ſanctorum tripudio deducta eſt. Qualiter autem deus pater totius paternitatis ſuæ blandiſsimo affectu tunc animam eius intra paternum cor ſuum ſuſceperit: omni creaturæ impoſibile eſt dicere. Inſcrutabilis quoq; dei ſapientia, dei filius quam cõdecentiſsimo honore fidelem ei exhibuerit reuerentiam, quamq́; ſublimiſsimè eam à dextris ſuis in throno gloriæ firmauerit: omnem excedit cogitatum. Spiritus etiam ſanctuus amore, benignitate, & ſuauitate ſua ac omnibus bonis eam tam affluenter repleuit: vt omnes in cœlo de eius plenitudinis abundantia replerentur. Seraphici etenim ſpiritus, qui ab initio ſuæ creationis, in diuinitatis arſerunt camino, à calore charitatis beatæ Mariæ virginis, ãplius in charitate ſunt accenſi. Che-

rubin

rubin quoq; ſcientia dei & claritate pleni: noua quodãmodo luce ſunt illuſtrati. Omneſq; angelorum ordines & ſanctorum maiorem claritatẽ, nouamq; lætitiam in augmentum meritorum ſuorum à tãtæ reginæ gloria ſunt adepti. Deniq; beatiſsima trinitas ſuæ diuinitatis plenitudine eam influens, ita penetrauit: ut tota deo plena, omnia, quæ ipſa facere videbatur, deus in ea & per eam faciebat, ita ut eius oculis videret, auribus eius audiret, ac ore virginis ſibi ipſi dulciſsimas & pleniſsimas laudes perſolueret. Et in corde virginis quaſi in proprio iucundari & delectari videretur. Regina autem gloriæ ſtabat à dextris filij, veſtita lucidiſsimis ſpeculis: in quibus ſanctorum omnium merita miro modo elucebãt. Vnde omnes ſancti ante thronum eius cum gaudio venientes, ſingulari ſua merita contemplabantur, ac proinde in nouas laudes prorumpentes: dulciſsimè deo iubilabant. Patriarchæ et prophetæ deſyderia ſua, & virtutes magnificas, ac familiaritatem, quã in terris cum deo habuerant, intuentes: inuenerunt beatã virginem in his omnibus ſe excellere, quia virtuoſior eis fuit, deumq; ardentius deſyderans: familiariſsima deo fuiſſe comprobatur. Sicq; ſinguli ſanctorum ordines accedentes, & merita ſua in beata virgine ſpeculantes: ipſam longè

ſe præcedere gaudentes mirabantur. Nam ipſa inter apoſtolos, Chriſto fideliſsimè adhæſiſſe: ac uerba eius diligentiſsimè conſeruaſſe inuenta eſt. Ipſa inter martyres: patientiſsma & conſtantiſsima. Inter confeſſores: illuminatiſsima & illuminans tam verbo, quã exemplo. Inter virgines: non ſolum caſtiſsima & ſanctiſsima, ſed etiã virginitatis, ac totius religioſitatis prima fuit cultrix. Ipſa inter mites: mitiſsima. Inter miſericordes: miſericordiſsima. Inter humiles: humillima. Inter perfectos: perfectiſsima eſt. Ideoq; omnium ſanctorũ excellentias meritò eſt ſupergreſſa. Dixitq; beata virgo. Quicunq; voluerit ſummo honore ſuper omnes exaltari: omnibus ſe humiliter ſubijciat. Qui etiã ſuper omnes voluerit ditari: propria ſe omnino ſpoliet voluntate. Et qui ſummi decoris appetit dignitatẽ: in omnibus virtutibus ſe ſtudeat exercere. Et cum, Salue regina, cantaretur: illa dixit beatæ virgini. Vtinam omniũ creaturarum corda in poteſtate haberem, vt ex affectu & viribus omniũ te dulciſsima uirgo ſalutarem. Cui reſpondit. Reclina te ſuper cor dilectiſsimi filij mei, quod in ſe omnẽ continet creaturam: & per illud me digniſsimè ſaluta. Poſt hæc orauit pro quadam perſona, quatenus beata virgo in exitu eidem ſubueniret. Ad quod reſpõ

dit. Orabit me per feruorem, quo anima mea in deum velut ſcintilla in ignem ſuū, reuolauit, eius q; diuino cordi velut pennula validiſsimo impulſu attracta, adhæſit, vt etiam anima eius tā ferněti amore ſuccendatur: vt in hora mortis ab omni impedimento libera, tanq; leuiſsima penna fœliciter in deum valeat euolare. Ego .n. illi & omnibus, qui mihi in hoc loco deſeruiunt, toto meo adiutorio & protectione in extremis ſuis volo aſsiſtere. Et quùm iterū pro alia oraret, quæ ipſi dominæ noſtræ deuota, gaudiorum ſuorū eam ſæpius admonere ſolebat: vidit ipſam, pro qua orabat, coram beata virgine ſtantem, quæ dabat ei monile quinq; fines vt cornua habens: & dixit. Quùm meorum gaudiorum mentionem facit, etiam hæc quinq; ſuperaddat, ſcilicet, vt ſalutet me in illo ineffabili gaudio, quod habui, quùm inacceſsibile lumen beatiſsimæ trinitatis. Primò aſpexi, in quo velut in ſpeculo lucidiſsimo agnoui illum æternū amorem, quo me præ omni elegit & dilexit creatura: & ex quanto amore præ cunctis me ſibi in matrē & ſponſam elegit, illamq; placentiam. qua ſibi in me, & omne miniſterium meū, quod ſibi in terris exhibui: in ſummo cōplacuit. Secundo, ſalutet me in plenitudine illius gaudij, quod aures meæ ſuſceperant ex dulciſsima ſalutatione ama-

tiſsimi filij mei, patris, & ſponſi, quùm me amantiſsimè ſuſcepit ſecundum magnitudinem omnipotentiæ ſuæ, ſecundum artificium ſapientiæ ſuæ, & ſecundum imenſitatem ſui delicati amoris, decantans mihi altiſsimum & ſuauiſsimũ amoris canti cum ſuauiſsimæ vocis ſuæ. Tertio, ſalutet me in plenitudine illius gaudij, quod anima mea ſuſcepit in oſculo illo prædulci, quod mihi diuinitas infixit, ĩ quo ſuæ diuinæ dulcedinis guſtũ tam affluẽter mihi infudit: ut ex redũdantia mei gaudij: melliflui facti ſunt cœli ita, vt etiam nec in terris tam miſer, aut malus ſit: quin ei ex mea plenitudine (ſi tamen deſyderet) valeam impartire. Tunc illa beatam virginẽ interrogabat: dicens. Mi domina, quid eſt os animæ? Reſpondit. Os animæ eſt hians quoddam deſyderium, quod deus ſine intermiſsione influit et replet ſe ipſo, ſecundũ omnem animæ delectationis appetitum. Quarto, ſalutet me in illo ineffabili gaudio, quod habui, quùm anima mea tota ſuccenſa eſt igne diuini amoris, & cor meum liquefactum eſt ex dulcedine diuini cordis, quum totam ſui diuini amoris plenitudinem in me effudit, in quantum creaturæ poſsibile fuit capere, aut frui, atq; ex meo ardore, nouo quodã modo ſanctorum multitudo incanduit amoris feruore. Quinto, ſalutet me in illo ineffabili gaudio,

quod habui, quùm ſplendor diuinitatis omnia mēbra mea clariſsimo lumine ita penetrauit: vt cœlum à mea gloria, noua luce illuſtretur, et omnium ſanctorū gaudium de mea præſentia augmētetur.

Quod in quinq; modis cōmunicans ſe exerceat. Cap. XXXXI.

IPſo aſſumptionis die, dum conuentus cōmunicaret, videbatur huic deuotæ Chriſti ancillæ, quaſi dominus cum virgine matre ad menſam magnam ſederet, & omnes perſonæ, quæ ad primam menſam communicauerant: ad menſam illam ſedebant. Illos verò qui tunc accedebant: angeli ad menſam reuerenter ducebant. Dominus autem dabat vnicuiq; bucellam panis: in quinq; offas diuiſam. Per quod intellexit, quod homo communicans, die illa in quinq; ſpecialius ſe debet exercere: & in his quodammodo deo conuiuium exhibere. Primum eſt, vt tota illa die (quantum poteſt) deum laudibus extollat, & in vnione illius laudis, qua Chriſtus omnia opera ſua ad laudem dei patris fecit: etiam omnia ſua pro dei honore faciat & amore. Secundum eſt, vt in vnione illius gratitudinis, in qua Chriſtus humanam naturam ſuſcepit, ac mortem gaudens ſuſtinuit, & in vnione illius gratiſsimæ charitatis, qua deo patri gra

tias agens; hoc per magnum nobis contulit donū: tota die illa cum gratitudine magnificas gratias pro tāto iugiter referat ſacramento. Tertium eſt, vt deſyderia ſancta multiplicet; ne in præſentia tanti hoſpitis vanus & vacuus videatur. Quartum eſt, vt omnia, quæ die illa agit: ad profectū vniuerſitatis facere intendat. Quintum eſt, vt etiam omnia, quæ facit, aut patitur: animarum fidelium in ſalutem. Item intellexit diuinitus, hæc quatuor in religioſis deo plurimum complacere, ſcilicet vt mundas habeant cogitationes, ſancta deſyderia, dulcia ad inuicem verba & charitatiua opera.

De proceßione & miſſa quam dominus celebrauit. Cap. XXXXII.

EO tempore, quo Canonici vicem Epiſcopi gerentes, congregationem monaſterij ſui pro quadam pecuniæ ſumma grauiter affligendo, à diuinis ſuſpendiſſent, in die aſſumptionis glorioſæ virginis, quùm hæc dei famula nimio affligeretur dolore propter carentiam dominici corporis. Viſum eſt ei, quod dominus abſtergeret lachrymas ab oculis eius, & manum eius tenens: diceret. Hodie videbis mirabilia. Cum ergo ſacerdos ex more inciperet ad proceßionem Reſponſorium. Vidi

ſpecioſam ſicut columbam, videbatur ſibi, quod tota cõgregatio ordinaret ſe ad proceſsionẽ, quam dominus cum matre ſua præcedebat: portans vexillum albi & rubei coloris. In albo: erant roſæ aureæ, in rubeo: argenteæ. Hæc proceſsio facta eſt per ambitum clauſtri vſq; in chorum: & deinde ad altare. Tunc dominus præparabat ſe: miſſam celebraturus, indutus caſula rubea & pontificali infula. Sanctus Iohannes baptiſta lecturus erat epiſtolam. Et hoc ideo: quia primus de gaudio virginis in vtero exultauit. Sanctus Iohannes euangeliſta lecturus erat euangelium, eo quod ipſe cuſtos erat virginis glorioſæ. Sanctus Iohãnes baptiſta et ſanctus Lucas domino ad altare miniſtrabãt: et ſanctus Iohãneſ euãgeliſta miniſtrabat beatiſsimæ uirgini, quæ ſtabat à dextra parte altaris, ueſtita indumẽtis ſolaris luminis, habẽs in capite coronã omnibus lapidũ precioſorũ generibus incõparabiliter adornatã. Omnibus autem ſanctis, qui aderant, miſsã ſolẽniter incohantibus. Gaudeamus omnes, beata virgo ad altare proceſſit, offerẽs filio fibulam auream, tanquã cryſtallũ puriſsimam, & inæſtimabilibus gemmis ſummopere ornatam, quæ ſingulæ puritatem ſpeculorum habebant ita, quod beata virgo contemplabatur omnes virtutes ſuas in eis. Hæc fibula texit to-

tum corpus dominicum velut clipeus, & beata virgo in illa velut in ſpeculo ſe videbat. Tunc miſſam proſequentibus vſq; ad vltimū Kyrieleiſon. Dominus altiſſima voce impoſuit, Gloria in excelſis deo: dicens. De gaudio cordis mei, omnibus vobis propino gloriam. Ad offertorium autem, eæ, quæ beatæ virgini ſpecialia impenderunt obſequia, accedentes ad altare, obtulerūt annulos aureos, quos dominus ſuſcipiens; digitis ſuis impoſuit. Et quùm præfationem ipſe ſummus ſacerdos & pontifex decantaſſet vſq; ad illud. Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur, ſuplici cōfeſſione dicentes, dixit ad ſanctos. Cātate omnes et pſallite. Qui omnes cantabāt. Sanctus, Sāctus, Sāctus. Inter omnes, et ſuper omnes, beatiſſima virgo dulciſſimum dabat ſonum, quo præ omnium ſanctorū vocibus, vox eius ſpecialiter agnoſcebatur. Inſtante autem hora ſacratiſſima, qua eleuanda erat hoſtia ſalutaris, viſus eſt dominus eleuare hoſtiam quaſi in aurea pyxide incluſam: & ſyndone velatā, per quod ſignificabatur, quod hoc ſacramentum omni humano ſiue angelico intellectui eſt abſconditum. Dicto, pax domini, poſita eſt ibi menſa, ad quam dominus ſe ponebat; iuxta quem mater eius ſedebat. Congregatio autem tota ad menſam illam accedens, vna-

quæq; perſona ſub brachio beatiſſimæ virginis quaſi geniculando accepit dominicũ corpus de manu domini. Et beatiſſima virgo craterem aureũ cum fiſtula aurea ad latus domini tenebat, per quã ſugebant omnes liquorem illum dulciſſimum: qui de pectore domini emanabat. Finita Miſſa, dominus benedictionẽ dabat manu ſua, in qua per ſingulos digitos annulos aureos habebat, ſignificantes deſponſationem ſingulorum virginum ſibi deſponſatarum, qui annuli lapides rubeos habebant, per quod figurabatur, quod ſanguis Chriſti ſpecialiter ad virginum pertinet ornatum.

De ſancto Bernardo abbate. Cap. XXXXIII.

IN feſto eximij doctoris ſancti Bernardi, dum Miſſa. In medio eccleſiæ, in honorem ipſius cãtaretur, & hæc dilectrix Ieſu pia deuotione intẽderet ijs, quæ cantabantur: cogitans quid eſſet illud medium eccleſiæ. Dominus, cuius reſpectus eſt in electos ſuos: animam eius lumine cognitionis illuſtrabat: dicens. Medium eccleſiæ, eſt ordo ſancti Benedicti, ſuſtentans eccleſiam, velut columna, cui tota domus innititur, quia ad vniuerſalem eccleſiam, & ad omnes ordines ſe quo ad aliquid tenet. Ad ſuperiores nanq; ſcilicet ad papam &

Eccle. 15.
Sap. 4

prælatos tenet ſe, exhibendo eis reuerentiam & obedientiam. Ad religioſos, per inſtructionem & informationem bonæ conuerſationis. Nam alij ordines hunc ordinem in aliquo imitantur. Ad bonos & iuſtos: ſe habet per auxilium & conſilium. Ad peccatores, per compaßionem, correctionem, & confeßionis auditionem. Deniq; in eo inueniunt peregrini hoſpitalitatem, pauperes ſuſtentationem, infirmi recreationem, eſurientes et ſitientes refectionem, triſtes conſolationem, animæ fidelium liberationem. In hoc medio. Sancti Bernardi ſingulariter à deo ĩ benedictionibus dulcedinis præuenti dominus aperuit os: quia ſpiritus ſanctus ipſum tam affluenter & ſuperabundanter influendo repleuit: vt velut cum ventus rapidißimo impetu ianuã aperit: ita ſpiritus ſancti impulſu, ea quæ ſibi diuinitus inſpirabantur, charitate accenſus effudit: & eccleſiam ſua doctrina multum illuminauit, & impleuit eum dominus ſpiritu ſapiẽtiæ et intellectus, quia omnia, quæ per ſpiritum ſanctum cognouit: etiam in dulcißima fruitione & experientia ſapiebat, et (ſupra q̃; dici poteſt) mente illuſtratus licet multa effuderit; multo tamẽ plura in intellectu reſeruauit. Tunc illa dixit. Eya præcordialis dilecte, et quæ eſt ſtola gloriæ, quam ſcriptura ſacra toties com-

memorat te induiſſe ſanctos? Nomen gloriæ tuæ mihi reuelaſti, modò (ſi placet) quæ ſit hæc ſtola gloriæ, mihi reuela. Mox ſanctus Bernardus in ſtola ex candido, uiridi, rubeo, & aureo colore mirificè contexta ſibi apparuit. ſplendorq; ſolaris his coloribus ĩmixtus, ineffabili pulchritudine et delectabilitate ĩterlucebat. Et ait dominus. Hæc eſt ſtola gloriæ, candore innocentiæ & uirore ſummarum uirtutum mearum contexta, ac roſeo ſanguinis mei colorata decore, inſuper feruentiſſimo amore meo inaurata. Solaris autem ſplendor, qui tam eleganter rutilans interlucet, eſt diuinitas cooperans & perficiens omnia opera meæ humanitatis. Hac ſtola omnes meos ueſtio ſanctos, quia innocentia mea, & decore uirtutum, ac amoroſa paſſione, omnium eorum gloriam in ſummo perfeci. Amor etiam ĩ ſpecie uirginis pulcherrimæ ſtabat à dextris beati Bernardi: et quocunq; ibat: ipſum comitabatur, in ſignum ſpecialis priuilegij, quod habet ex eo, quod tam amoroſus erat: et tam multos ſuis eloquijs ac ſcriptis in dei amore accendit, totumq; cœlum ex uerbis eius uelut fulgidis margaritis erat exornatum:

De ſancto Bartholomæo et quomodo deus in ſanctis ſuis laudetur. Cap. XXXXIIII.

IN feſto ſancti Bartholomæi apoſtoli. Vidit ip
ſum in gloria, habentem ante ſe crucem aureã.
Et quùm miraretur, quïd illa crux deſignaret:
dixit ei dominus. Hæc eſt illa crux, de qua in euã
Matth. 16. gelio dixi. Qui uult uenire poſt me, abneget ſemet
luc. 9. ipſum, & tollat crucem ſuam: & ſequatur me.
Cuius pars ſuperior; eſt ſpes & confidentia, qua
omnes qui ſeipſos & ſua deſerunt propter me: ad
me tendunt. Dextra pars: eſt amor proximi. Si-
niſtra uerò: patientia in aduerſis. Inferior pars:
eſt cautela ab omnibus, quæ animã à deo elongãt.
Quia ergo ille dilectus meus diſcipulus me perfe-
ctè ſequendo & imitando; hanc crucem tulit: mo
dò in inſignis gloriæ ipſius ſupereminet dignitate.
Viſa autem tanta apoſtoli gloria, deſyderabat de
um, qui ſuos glorificat dilectores, in ſuis ſanctis
collaudare. Quam dominus dignãter inſtruxit: di
cens. Lauda bonitatem meam in ſanctis, quos tã
ta beatitudine donaui: vt non ſolũ in ſeipſis omni
bus abundent bonis: ſed etiam cuiuslibet gaudium
ex alio in tantum augmentatur: vt quilibet de bo
nis alterius plus gaudeat, q; vnquã mater aliqua

in exaltatione vnici filij, aut pater in triumpho et gloria potuit exultare vnici filij. Sicq; ſingulorum merita quilibet tanquã propria in iucundiſsima poßidet charitate. In feſto igitur cuiuslibet ſancti, potes me laudare. Primò, pro æterna electione, qua ſanctos elegi, & quã in ipſis ita fortificaui: vt quamuis electi ad æternam beatitudinem, in magnis quandoq; ſint peccatis, ſemper tamen ac ſi non peccauerint: in eis reſpicio illam, ad quam venturi ſunt claritatem. Secundo, pro amicabili vocatione, qua eos vocaui ad regnum decoris. Quis .n. vnquã ad meam diuinam maieſtatem acceſſum haberet, niſi ipſum vocarem, & traherem? Tertiò, pro fideliſsima regni mei cum ipſis diuiſione, quia omnes electos meos reges & reginas mecum conſtitui, & tã fœliciter & glorioſe regnare feci: ut non dimidium regni mei: ſed totum accepiſſe videantur. Poſſunt etiam ſancti admoneri gaudij, quo gaudent ex eo, quod modò perfectè deum agnoſcunt, & in iucundiſsima delectatione vident ſe ipſos ab æterno dilectos: & ad talem fœlicitatem gratis electos. Nemo enim amici cor aſpicere valet, qualiter circa ipſum afficiatur, ſicut electi mei, qui cordis mei intima rimantur, & ineffabili gaudio ſentiunt erga ſe affectum meum & amorem. Secundo, ſuauiſsimi gu-

ſtus, quem habent, quia quod me laudant & benedicunt, & quod meam erga ſe vident charitatem; eis dulciſſimè ſapit. Tertio, quod habent ſuæ voluntatis copiam, quia omnia, quæ volunt: liberaliſſimè poſſunt. Poſſunt etiam ſancti admone ri glorioſiſſimæ, ſplendidiſſimæ, & delicioſiſſimæ præparationis, quam eis deus ab æterno præparauit, videlicet, vt ſint: vbi eſt ipſe, cohære des vnigeniti ſui, imò in ſe ipſo in intimo cordis ſui eis donauit manſionem. Secundo, dulciſſimæ influitionis, qua illos deus tota ſua diuina delicioſitate influit: & ipſi tota gratitudine ſua & dulciſſima fruitione refluunt in ipſum. Tertio, digniſſimi honoris, quem eis deus exhibuit, quia eos fecit ſuos cõmenſales, cibans & ſatians eos ſine faſtidio, ſplendore prædulcis faciei ſuæ: & inebrians torrente voluptatis diuinæ, replendo in bonis omnia deſyderia eorum. Quarto, fideliſſimæ remunerationis, quia nihil tam paruũ pro eius amore fecerunt, dimiſerunt, aut pertulerunt: quod obliuioni dederit, ſed omnia diligentiſſimè conſeruãs: ipſos ſupra omne meritum, digniſſimo remunerauit honore. Quinto, æternæ beatitudinis, quia certi ſunt: quod eorum gloria & fœlicitas nunquam deficiet, ſed cum gaudiorum & remunerationum cumulo: ſemper accipient incrementum.

De Natiuitate beatiſsimæ virginis Mariæ. Cap. XXXXV.

IN ſtante glorioſæ virginis Mariæ natiuitatis feſto, quo velut aurora rutilans, in hunc mundum naſcendo progreſſa eſt: hæc Christi ancilla deuota ipſam reginam gloriæ in oratione requiſiuit; quid ſibi in ſuo feſto ab ea legi vellet. Cui benigniſſima virgo ſtatim apparuit: dicens. Lege mihi tot Aue maria, quot diebus fui in vtero matris meæ, & admone me gaudij, quo nunc gaudeo ex eo, quod video & agnoſco gaudium beatiſsimæ trinitatis, quod habuit de me ex placentia, qua ſibi in me complacuit ab æterno, & ſpecialiter in mea natiuitate in tantum exultauit: vt ex abundantia ſui gaudij, cœlum & terra & omnis creatura licet neſciens exultaret. Sicut .n. artifex, mirificum opus facere decreuit, magno ſtudio præmeditatur, & in delectatione cordis ſui præimaginatur: ſic altiſsima trinitas in me delectabatur, & gaudebat, quia talem imaginē facere volebat: in qua totius potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis ſuæ artificium elegantiſsimè appareret. Inſuper quia ſciebat opus ſuum nunquā in me deprauari donec perficeretur. In tanta deniq; iucunditate & exultatione, natiuitatem, & infantiam meam digna

ta eſt præuenire: vt omnis actus pueritiæ meæ coram eo delectabilis ludus videretur, iuxta illud.
Proue. 8. *Ludens coram eo omni tempore. Secundo, admone me gaudij, quod habeo ex eo, quod deus me ſuper omnem creaturam ſuam in tantum dilexit: ut amore mei multoties pepercerit mundo: etiam antequā nata eſſem. Ipſe etiam ex amore nimio anticipauit aliquantulum natiuitatē meam: & præuenit me gratia ſua in vtero matris meæ. Tertio, admone me gaudij, quod habeo ex eo, quod me ſuper omnes angelos, & ſuper omnem creaturam digniſsimè honorauit. Ex illa nanq; hora, qua anima mea corpori eſt infuſa, ſpiritu ſancto me repleuit, qui me ab originali peccato penitus emundauit: & ſingulari ſanctificatione in ſacrarium ſibi elegit, vt velut roſa ſine ſpina, & tanquam lucifer orirer in mundum. Beata itaq; Maria habebat crines miræ pulchritudinis, quos dum illa ob nimiam tractaret lenitatem: glorioſa virgo dixit. Contrecta crines meos, quia quò plus eos contrectaueris: eò amplius decoraberis. Hi.n. crines, meas innumeras deſignant virtutes. Has quantò magis imitando tractaueris: tanto magis in te pulchritudinem augebunt & decorem. Tūc illa dixit. O virtutum regina, dic obſecro, quæ erat prima uirtus, in qua te in infantia exercuiſti?*

Re

Reſpondit. Humilitas, obedientia, & amor. Ab infantia enim tantæ humilitatis fui: quod nũquã me alicui creaturæ prætuli, & tam ſubiecta & obediens eram parentibus meis: quod in nullo eos vnquam cõtriſtaui. Ex eo etiam, quod ſpiritus ſanctus in vtero matris meæ me repleuit, ſic ad omne bonũ inclinata eram: vt miro modo omne bonum diligerem, & quicquid erat virtutis: ſtatim mira delectatione amplectendo imitarer. In ſancta autem nocte dum ad matutinas cantaretur Reſponſorium. Stirps ieſſe. Vidit beatiſsimam uirginem in ſimilitudine arboris pulcherrimæ, ſuper omnem terræ altitudinem & latitudinem extenſæ. Eratq; arbor illa perſpicua, vt ſpeculum per lucidum, folia habens aurea, ſuauiſsimum ſonum reddentia, in cuius ſummitate flos delicioſiſsimus erat, qui totum orbem contegebat: & odore mirifico reſpergebat. Dixitq; beatiſsima virgo. Deus meus ſui ipſius laudator & laus eſt in me: & ſe ipſum miro modo paſcit in me. Ad Miſſam autem, dum in ſequentia. Aue præclara, cantaretur verſus. Hinc manna verum. Videbatur ei, quod beata virgo in medio cõgregationis ſederet, habens puerum elegantiſsimum: cuius brachia gemmis & auro ineffabiliter erant ornata. Per quod intellexit deſignari, quod dominus Ieſus per

nimiũ dolorem in brachijs habuit, quùm poſt baiulationem crucis & tenſionem penderet in cruce. Et dum cantaretur. Ora virgo, mox virginea mater puerum altiſſimè eleuabat, & liquor balſami de puero vbertim effluẽs, congregationẽ fœliciter influebat. Ad illum autem verſum. Fac fontem dulcem, videbatur ei, quod ſingulas perſonas ſub pallio ſuo diuino cordi filij ſui applicaret: dicens. In hoc fonte omnẽ amaritudinem veſtram dulcificate: & omnia tentamenta veſtra deuincetis. Cum autem pro congregatione oraret, vt eam in ſancto propoſito confortaret & confirmaret. Dominus ait. Si mihi voluerint adhærere: in æternum eas non derelinquam.

De ſanctis angelis & qualiter Iohannes eis ſociãtur. Cap. XXXXVI.

ANte feſtum archãgeli Michaelis, quùm hæc Chriſti ancilla in familiari unione à deo quæſiſſet, quid obſequij angelis offerre deberet: hoc reſponſum accepit. Lege eis nouem pater noſter: ſecundum nouem ordines eorum. Quod quùm feciſſet, in illorum die ſancto volebat offerre ſuo angelo: vt ille cæteris angelis præſentaret. Cui dominus ait. Cõmitte mihi, vt ego hoc faciam: quia ineffabili gaudio hoc facere me delectat, eo quod

omnis oblatio mihi cõmiſſa, quùm per me in cœleſtibus præſentatur, ex me in tantum nobilitatur, & in melius cõmutatur: ſicut denarius in maſsã candentis auri ĩmiſſus, & in unum redactus: iam non quod fuit in ſe, ſed quod factum eſt ex auro, appareat. Poſt hoc vidit aſcenſum nouem gradibus conſitum, multitudine angelorum hinc inde circundatum, ita. Vt in primo: angeli. In ſecundo: archangeli: & ſic deinceps cuiq; gradui ordo angelicus præſideret. Intellexitq; diuinitus, per hunc aſcenſum, hominum conuerſationem deſignari. Ita videlicet, vt quicunq; in eccleſia deo fideliter, humiliter et deuotè miniſtraret: & etiã propter deum infirmis, peregrinis, ſeu pauperibus, et inuicem in charitate quilibet alteri ſubueniret: in primo gradu angelis coæquaretur. Qui verò oratione et deuotione deo familiarius intẽdunt: in ſecundo gradu cum archangelis inſeruntur. Et qui ſe exercent in patientia, obedientia, voluntaria paupertate, & humilitate, omneſq; virtutes fortiter peragunt: tertium gradum cum virtutibus conſcendunt. Qui autem vitijs & concupiſcẽtijs reluctantes, diabolum cum omnibus ſuggeſtionibus ſuis contemnunt: in quarto gradu cum poteſtatibus triumphum gloriæ obtinebunt. Qui verò in eccleſia cæteris prælati, officium ſibi com-

miſſum benè miniſtrabant, animarum lucris die, noctuq; inuigilantes, et talenta ſibi tradita omni, qua poſſunt, diligentia dupplicantes: hi cum principatibus in quinto gradu gloriam regni pro labore ſuo poßidebunt. Qui etiam diuinæ maieſtati cũ omni ſubiectione ſe reuerenter inclinant, & pro eius gloria, omnem hominem honorant & diligunt: ſeipſos etiam, quia ad imaginem dei facti ſunt: deo pro viribus ſuis ſe conformant, & ſubijcientes carnem ſpiritui: dominantur animo ſuo, ipſum ad cœleſtia transferendo: cum dominationibus in ſexto gradu exultabunt. Qui verò meditationi & contemplationi ſedulè intendunt, cordis munditiam, & mentis tranquillitatem amplectẽdo; quietiſsimam ſe deo exhibent habitationem: qui verè dei paradiſus dici poſſunt, iuxta illud.
Prouer. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, de quibus*
Leuit. 26. *etiam ipſe dicit. Inambulabo in eis & inhabitabo, in ſeptimo gradu thronis ſociabuntur. Qui autem ſcientia & cognitione cæteris eminent, qui ſingulari beatitudine deum facie ad faciem, mente illuſtrata conſpiciunt: & ea, quæ ex ipſo fonte omnis ſapientiæ hauriunt, per doctrinam & illuminationẽ aliorum, in ipſum refundunt: in octauo gradu aſcenſionis cum cherubin locabuntur. Et qui deum toto corde & tota mente diligunt, et*

igni æterno (qui deus eſt) ſe totos imergunt: eiq́; ſimillimi facti, non iam ſuo, ſed diuino amore (ſicut dilecti ſunt) diligunt omnia in deum, & propter deum diligunt inimicos, eosq́; vt amicos intuentur: quos ab amore dei nihil ualet ſeparare, imò nec impedire: quia quo magis inimici in eos inſurgunt, eò ualidius in amore conualeſcunt: fœliciter in ſeipſis ardentes, & alios accēdentes ita, vt (ſi poſſent) omnes homines facerēt in dei amore perfectos: aliorum uitia & peccata ut propria deflentes, quia ſolius dei gloriam et non ſuam omnino diligunt & requirunt: iſti in nono gradu cum ſeraphin, inter quos & deū nulli alij ſpiritus ſunt: deo immediate appropinquabunt. In die autem feſto, inter miſſam, vidit multitudinem angelorum adeſſe: & quemlibet eorum ſtantem coram ſibi cōmiſſa uirgine, in ſpecie iuuenis pulcherrimi, quorum quidam habebant ſceptra florigera: quidam autem aureos flores. Et quùm conuentus inclinaret: ſuper flores os ponebat, in ſignum æternæ pacis. Sicq́; angeli per totam miſſam cùm magna reuerentia miniſtrabant. Cum autem accederent ad conuiuium regis cœlorum: quilibet angelus ducebat ſibi cōmiſſam. Rex autem gloriæ ſtabat in loco ſacerdotis, ineffabili gloria circundatus, ornamentum habens in pectore, in modum

arboris pulcherrimæ, quæ diuiſit ſe: & ex corde illo melliſluo, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi, profluxit vena puriſſima, qua omnes ad eum accedentes inebriabantur torrente voluptatis diuinæ.

De omnibus ſanctis. Cap. XXXXVII.

IN vigilia omnium ſanctorum, quùm in quodam opere ex obedientia ſibi iniuncto laborãs, miſſam neglexiſſet: tandem ante eleuationem hoſtiæ ſacroſanctæ veniens, corde mœſto obtulit deo negligentiam ſuam. Cui dominus. Nonne videor tibi tantum precium, quod poſſit perſoluere omnia debita tua? Ad quod illa. Etiam domine, plenè confido, quod poſſis, & ſcio: quia nihil tibi eſt impoſſibile. Ait ergo dominus. Plenè in omnibus deo patri meo pro te reſpondebo. Tu quoq; ſingulas ſanctorum deprecare turmas, quatenus & ipſi pro te ſua offerant merita. Patriarchæ ſancti & prophetæ: deſyderium, quod ad meam habuerunt incarnationem. Apoſtoli: fidelitatem, qua mecum in omnibus tribulationibus meis permanſerunt, & prædicando diſcurrentes: populum mihi fidelem collegerunt. Martyres: patientiam, qua ſanguinem ſuum propter amorẽ meum effuderunt. Confeſſores: ſanctitatem eximi-

am, qua alijs verbo & exemplo, viam vitæ demonſtrauerunt. Virgines ſacræ, caſtitatem & incorruptionẽ, qua mihi proximæ eſſe meruerunt. In nocte ad matutinas, vidit regem gloriæ, in throno cryſtallinæ puritatis ſedentem, qui rubeis cornelinis erat decenter perornatus; ad cuius dexteram regina cœli in ſolio ſimili ſaphiro, albis margaritis perornato reſidebat. Per cryſtallinum dei thronum, intellexit ſignificari inæſtimabilem diuinitatis puritatem. Per cornelinas verò: paßionem roſeam ſuæ humanitatis. Per ſaphyrum etiã: cor cœlicum matris dei, & per margaritas: uirginalis puritas eius ſignificabatur. Dum ergo cãtaretur uerſus ſecundi Reſpõſorij, ſcilicet. Ora pro populo. Exurgens mater glorioſa de ſolio ſuo, genibus flexis viſa eſt filio regi pro congregatione deuote ſupplicare. Similiter quilibet ſanctorum chorus facere videbatur: dum fieret mentio eorum. Deinde inter octauam lectionem, iteratò exurgens beatißima virgo Maria de ſolio ſuo, coram filio ſtabat cum innumerabili turba virginum ſanctarum. Et ecce de corde illo dulcißimo, in quo latet copia omnis beatitudinis, progredi uidebatur funiculus triplex aurei coloris, qui pertranſiens amoroſißimum cor virginis matris: protendebatur ad ſingula corda virginum, ſicq; ſin-

gillatim omnium corda pertranſiens, donec de cor de virginis poſtremæ reflexus penetraret cor diuinum, faciens mirabili ductu quaſi choream. Se orſum verò virginibns, circumducta videbatur reliqua multitudo vtriuſq; ſexus, quæ hoc ſpeciali virginitatis dono non erat ſublimata. Seorſum etiam his, chori ſanctorum angelorum circunducebantur: & de ſingulis ſanctorum cordibus tam virginum q; reliquæ multitudinis, exiuit ſonus dulciſsimus: in modum organorum. Per quod dabatur intelligi, quia nil adeò paruum fecerunt in terris, in laude & gratiarum actione, factis, dictis, vel cogitationibus, quod non ſuaui ſoni clangore; de cordibus ipſorum æternaliter reſonet in laudem diuinam: & ipſorum gaudij ac gloriæ incrementum. Vnde reduxit ad memoriam, de talibus ſcriptum eſſe. Ibi reſonant iugiter organa ſan

Pſ. 150. ctorum. Et illud. Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo. Per triplicem uerò funiculum, qui de corde domini procedebat, intellexit ſignificari amorem ſemper venerandæ trinitatis ſcilicet patris & filij & ſpiritus ſancti, qui per interuentum digniſsimæ matris ſemper virginis mariæ, incorruptarum virginum amatoria corda ſpeciali ſuauitate pertranſeundo, ſibi coniunxit: teſte ſcriptura, quæ dicit. Incor-

ruptio proximum facit eſſe deo. In die autem inter ſummã miſſam, dum legeretur euangelium, illa (more ſolito) dominum perquirens: ait. Quid me o amator dulciſsime, modò vis facere? Reſpondit. Quod pridiè monui te. Tunc illa recordans ſe heſterno die præmonitam à deo, vt ſanctorum cœtum oraret pro ſe offerre, & ad hoc ſtudens: intellexit dominum ſibi dicentem. Ecce ego præcedens omnes ſanctos: accedam pro te oblaturus deo patri. Et primò tempus illud ſanctiſsimum, quo in vtero virgineæ matris meæ, nouem menſibus tanquam ſponſus in thalamo requieui; offerã pro tempore illo, quo tu in vtero matris manens, nec originalis peccati macula carens: nõdum gratiæ meæ capax eras. Deinde offeram ſanctiſsimã natiuitatẽ meam pro tua natiuitate, in qua nõdum fonte baptiſmatis renata: mihi extitiſti aliena. Hinc ĩnocentiſsimam infantiam & pueritiam meam pro ignorantia infantiæ, & pueritiæ tuæ, feruentiſsimum quoq; ſtudium deuotiſsimæ adoleſcẽtiæ & iuuentutis meæ, offeram pro negligentia tuæ iuuentutis. Totam dehinc ſeriem ſanctiſsimæ & perfectiſsimæ conuerſationis meæ, cum fructu & amore paſsionis meæ: offeram pro vniuerſis cõmiſsis & defectibus tuis, vt per me ipſum & in me ipſo omnia tua ſint ſuppleta. Sicq; his dictis Sap. 6.

progrediens dominus virtutũ, ſubſequente ſe omni cœlorũ militia, acceßit oblaturus ad altare quoddam decentißimum, quod miraculoſa nimis, ac delectabili uarietate artificioſißimæ ſculpturæ apparebat exornatum. In quo intellexit reconditũ impreciabilẽ illum, ac inæſtimabilem theſaurum totius videlicet ſummæ & incomprahenſibilis diuinitatis. Per ſculpturam quoq; altaris, intellexit notari inexplicabilem diuerſitatem beneficiorum dei, quæ excedit omnem humanum intellectum. Tribus etiam gradibus ad prædictum altare aſcendebatur. Quorum primus erat aureus, per quod declarabatur quod nullus ad deum poteſt uenire: niſi per charitatem aſcendat. Secundus videbatur aerei coloris, per quod innuebatur meditatio de diuinis & cœleſtibus. Quia volenti appropinquare deo, neceſſe eſt, vt ab omnibus terrenis exoccupatus: frequentius conetur per meditationem ad cœleſtia eleuari. Tertius gradus apparebat viridis, per quod notabatur uirens intentio laudis diuinæ, vt ſcilicet omnis noſtra operatio tali fiat intentione, vt magis dei laudem & gloriã: quam noſtrum deſyderemus profectum aut ſalutem. Hinc circa tempus cõmunionis, vidit in medio ſupraſcriptæ choreæ, menſam rotundam, decenter valde compoſitam, de qua dominus ſub ſpe

tie ſacramentalis hoſtiæ, deificum corpus ſuum et ſanguinem præbuit congregationi conſedenti ſibi ad menſam eandem. Deinde tanquam munificus rex per miniſteria principum cœleſtium, ſingulis de congregatione regia xenia tranſmiſit. Quæ xenia, illa quæ hoc vidit, hoc fore affirmabat: de quo dominus aliā quandā ſibi deuotam ante idem feſtum certificauerat, quia ob exibitionem ſpecialis amicitiæ, cuilibet de congregatione daturus eſſet mille animas, quas pro ipſarum orationibus à nexibus culparum expeditas transſerret ad regna cœlorum.

De Aureola virginum.
Cap. XXXXVIII.

Item alia vice in feſto etiā omnium ſanctorū, dū cogitaret quid laudis deo in honore ſuorum ſanctorum exhiberet: dixit ei dominus. Lauda me pro eo, quod ſum ominum ſanctorum corona. At illa ſtatim beatiſsimam & ſemper uenerandam trinitatem pro modulo ſuo laudabat & benedicebat: quod eſſe dignatur corona & mirabilis dignitas ſanctorum. Inſuper ſingulari prærogatiua aureola omnium virginum beatarum, ſtatimq; vidit in capite virginis glorioſiſsimæ et omnium ſanctorum, coronā inæſtimabilis decoris,

ita quod de eius gloria nihil verbis exprimere poſſet. Vidit etiam qualiter deus eſſet aureola beatiſſimæ virginis & omnium virginum in ſimilitudine ſerti, pleni rotundis nodulis, tribus & tribus in ſimul iunctis, quorum unus erat rubeus, alter candidus, & tertius aurei coloris. In rubeo nodulo, deſignari intellexit Chriſti paſſionem, & omnium virginũ paſſiones, & quælibet aduerſa, quia qui virginitatẽ illibatam conſeruare voluerit: abſq; labore & tribulatione nequaq̃; ſufficit. In candido: Chriſti innocentia & uirginitas ĩmaculata exprimebatur. In aureo: figurabatur amor Chriſti: & virginum, quia veræ virgines naturaliter ipſum diligunt: cui integritatem ſuam deuouerunt. Quod tres & tres inſimul erant poſiti: ſignificabatur, quod uirgines ex prædictis tribus, ſpecialem præ alijs ſanctis familiaritatem, dilectionẽ, & guſtum præſuauem in deo habent. Licet.n. omnis ſanctorum decor & gloria ex ſanguine Chriſti, & innocẽtia, cæteriſq; virtutibus eius conſtet perfectus, ac inter quamlibet animã & deum dulciſſima familiaritas & dilectio ſit: ſpeciali tamen prærogatiua virgines velut in ſpõſo proprio, delicioſiori familiaritate, & delectatione, & guſtu præſuaui, deo perfruuntur. In rotunditate nodulorum, intellexit deſignari inter

1 Cor. 7.

minabile & inexplicabile quaddam bonum in eo latitare, quod etiam nec ſancti in cœlo ad plenum agnoſcere, nec diſcutere valent, ut verè dici poſsit. Bonum illud nemo ſcit: niſi qui accipit. APoc. 2.
In ſancta verò nocte, quùm iterum excellentiſſimam trinitatem laudibus, quibus poterat, extolleret: vidit in exceſſu mentis fontem viuum, ſplendidiorem ſole, qui in ſemetipſo & ex ſemetipſo exiſtens; ſaluberrimum & optimum ex ſe aerem faciebat. Conſiſtorium eius firmiſsimum & precioſiſsimi operis erat, habens hauſtorium ſuũ in ſe ipſo, abſq; humano opere ſe ipſum hauriens: & omnibus liberaliter Communicans. Per ſolidiſſimum fontis conſiſtorium: Patris omnipotentiam intellexit deſignari. Per hauſtorium: filij dei increatam ſapientiam, quæ ſe pro ſuo beneplacito omnibus liberaliter effundit, et cuiq;, prout vult, diſtribuit et communicat. Per dulcedinem aquæ: ſancti ſpiritus ineffabilem ſuauitatem & bonitatem intellexit. Per aerem ſaluberrimum, figurabatur quod deus eſt uita omniũ. Quia ſicut abſq; aere homo non poteſt viuere: ita ſine deo nulla uiuit creatura. In circuitu fontis, in ipſo conſiſtorio erant ſeptem columnæ habantes capitella ex ſaphiro, per quas ſeptem riuuli omnes ſanctos influebant ita, ut vnus in angelos. Alter in prophetas.

Tertius: in apoſtolos. Quartus: in martyres. Quintus: in confeſſores. Sextus: in virgines. Septimus: in omnes creaturas ſanctas & electas deriuaret. Qui inde omnibus bonis ſaciati: ſuauiſſimū odorem inuicem ſpirabant, quem quilibet ab altero pia auiditate in ſe trahebat. Per quod innuebatur, quod ſancti gaudium ſuum & omnia, quæ in deo poſsidēt bona inuicem profuſa benignitate cō municant.

De beata Catharina virgine & martyre. Cap. XXXXIX.

IN feſto eximiæ virginis Catharinæ, apparuit ei ipſa virgo in veſte aureis rotis repleta, quæ in ſummitate habebat duas manus aureas, ipſam veſtem inſimul continentes, per quas figurabatur, feliciſſima illa dei cum anima vnio indiuiſa. Tūc Chriſti ancilla eā reuerenter ſalutabat cū antiphona. Aue virgo ſpecioſa, aue virgo deo digna, aue dulcis & benigna, obtine nobis gaudia, quæ poſsides in gloria. Et poſt hæc dixit ad eam, obſecro, dic mihi, quid per hoc notatur, quod tibi canimus, cuius vultum, ac decorem concupiuit dominus? Quæ reſpondit. Vultus meus eſt imago venerandæ trinitatis, quam ideo in me dominus concupiuit: quia eam nunq̄ magnis deprauа

ui peccatis. Decor autem meus eſt illud eximium decus, quo Chriſtus fideles ſuos ſui ſanguinis colore, inæſtimabili pulchritudine decorauit. Et hoc ſcias, quod quoties homo communicat: toties decor ille in anima renouatur et augetur. Quùm uerò ſanctam Catharinā pro quadam ſibi deuota oraſſet: illa reſpondit. Dic ei, vt legat pſ. Laudate dominum omnes gentes. Et antiphonam. Vox de cœlis intonuit. Veni dilecta mea, veni, intra thalamum ſponſi tui, quod poſtulas impetraſti, admonens me gaudij, quod habui, quùm Chriſtus rex et ſponſus meus his verbis me vocauit. Quùm enim vox illa ad me delata fuit: tantus amor ſuccendit cor meum, & tam ineffabili gaudio reſoluebar: quod omnis horror mortis in nihilum redactus fuit.

De minimo ſancto paradiſi. Cap. L.

SAbbato quodam dum in miſſa cantaretur ſequentia. Mane prima ſabbati, in illo verſu. Vt fons ſumme, cogitabat, quot & qualia dona, et quāta et inenarrabilia bona de ipſo fonte omniū bonorum emanaſſent: & ſine fine emanant. Et ait illi dominus, Veni & uide minimum ſanctorum, qui eſt in cœlo, & tunc poteris cognoſcere fontem pietatis. Ipſa vero cogitare cœpit, vbi illum poſ

ſet inuenire: aut quomodo eum valeret agnoſcere. Et ecce occurrit ei uir quidã viridi amictus ueſtimento, criſpos habẽs crines & glaucos, mediocris ſtaturæ, pulcher facie nimis: & decorus valde. Cui illa. Quis. n. es tu? Et reſpondit. Ego eram in terris raptor & maleficus: & nunq̃; opus bonum feci. Quæ ait. Et quomodo huc in gaudium intraſti? Reſpondit. Omnia mala, quæ feci, nõ ex nequitia, ſed quaſi ex cõſuetudine, & melius neſciens perpetraui: quia ad hoc à parentibus nutritus eram. Ideoq; in fine per pœnitentiam, dei miſericordiam ſum conſequutus. Centum annis fui in locis pœnarũ: et multa pertuli tormẽta. Nunc autem ſola gratuita dei pietate: huc in requiẽ ſum deductus. Tunc ille omnia bona, quæ deus tam miſericorditer in ipſo peregit: iſti, quæ hæc vidit: tradidit. Et hoc erat illi lætitia magna: quod hæc facere potuit. Sicq; fontem pietatis cognouit in minimo ſancto. Quia ſi deus talia operatus eſt in eo, qui nihil boni peregit, quid in iuſtis & virtuoſis ſanctis ſuis perficiet?

De dedicatione eccleſiæ. Cap. LI.

IN feſto dedicationis eccleſiæ. Quùm ad miſſam cantaretur verſus. Deus cui aſtat angelorum chorus. Exaudi preces ſeruorum tuorum.

vidit in ſpiritu cœleſtem Ieruſalem: & thronum dei in ea, qui erat tantæ magnitudinis: ut á ſummo cœli uſq; ad infernum extenderetur, inferius habens clauum magnum, qui omnes, qui erant in inferno, deprimebat, per quem intellexit deſignari iuſtitiam dei: quæ impios iuſtißimè à deo ſeparauit. Eratq; ciuitas illa conſtructa ex lapidibus precioſis & viuis ſcilicet ſanctis ita, vt quilibet ſanctus in muro, ſicut imago in lucidiſſimo ſpeculo cum omnibus meritis ſuis diſtinctè appareret. Omnes uerò angeli ante thronum dei, ſecundum ordines & dignitates ſuas ſtabant ordinati. Anima autem quùm dilectum adire cuperet: angeli eam blandè ſuſcipientes, inter ſe vſq; ad archangelos deduxerunt. Archangeli: vſq; ad virtutes, ſicq; omnes angelorum choros pertranſiens: vſq; ad thronum dilecti ſui peruenit, ceciditq; ad pedes eius: dicens. Saluto pedes tuos ſanctißimos, quibus amore inæſtimabili et deſyderio exultans vt gigas; cucurriſti uiam redemptionis noſtræ & ſalutis. Deinde gratias egit pro ſingulis bonis: quæ ad pedes eius fuerat conſequuta. Poſt hæc dixit ad dominum. Quid modò petam, quæ toties hodie ad petendum inuitamur, quod etiam impetraſſe nos lætemur? Cui dominus, Ora primùm donari tibi remißionem omnium peccatorũ,

hoc enim homini ſaluberrimum eſt: & inde veram lætitiam obtinebit. Quicunq;.n. pœnitens confitetur peccata ſua, aut integram voluntatem confitendi habens, ante pedes meos poſtulat ſibi indulgeri peccata ſua: hic ſi tantam in corde ſuo ſenſerit humilitatem, quod ſe omni homini proſternere propter me paratus ſit: teſtimonium illi erit, quod verè peccatorum remiſſionem impetrauit. Dehinc anima ſurgens, vidit dominum expanſis manibus in throno ſedentem, & dicentem. Sicut in cruce manibus extenſis vſq; ad mortem perſeueraui: ſic adhuc expanſis manibus aſſiſto patri meo pro homine, & in ſignum, quod verè paratus ſum, omnem hominem ad me venientem ſuſcipere in amplexum. Siquis igitur hæc conſequi deſyderat, ſi paratus eſt pro amore mei omnia aduerſa tolerare: ſignum erit ei, quod ad amplexũ meum peruenit. Quiſquis etiã ad oſculũ meum inhiat, ſi in veritate probauerit, quod voluntatem meam in omnibus diligit, & ei ſummè placuerit: indicium ſibi erit, quod ad oſculum meum peruenit. Quiſquis aũt preces ſuas ad aures meas deuenire, & eas exaudiri uoluerit: ad omnem obedientiam propter me ſit paratus, quia impoſſibile eſt, veri obedientis preces non admitti. Item quùm Reſponſorium. Benedic, cantaretur, omnes virtutes, quæ il-

lic nominabantur: vidit in ſpetie virginum, deo aſtare, inter quas vna cæteris excellentior aureũ ſcyphum portabat, cui ſingulæ virgines aromata imponebant: quæ flexis genibus deo propinauit. Hoc dum illa miraretur: dixit ei dominus. Hæc eſt obedientia, quæ ideò ſola mihi propinat: quia in ſe continet bona cæterarum virtutum, & verus obediens has virtutes in ſe debet habere. Verus enim obediens oportet vt habeat animam ſanam: ideſt, ut nullo criminali peccato infirmetur. Humilitatem etiam habere debet, qua ſe prælatis in omnibus ſubijciat. Sanctitas & caſtitas in eo etiam eſſe debet: quia cordis & corporis munditiam retinere oportet. Virtutes & victoria illi neceſſariæ ſunt: vt ſcilicet fortis ſit ad benè operandum: & victorioſus ad vitijs reſiſtendum. Cæteras quoq; virtutes obedienti habere conuenit, ſcilicet fidem, ſine qua nemo deo placebit, & ſpem, qua ſemper ad deum tendat: & charitatem tam ad deum, quam ad proximum. Benignitatem, qua ſe omnibus mitem & ſociabilem exhibeat. Temperantiam, qua omnia ſuperflua amputet. Patientiam, qua cuncta aduerſa deuincat, et omnia mala: vtilia ſibi faciat & fructuoſa. Et ſpiritualem diſciplinam, qua regulam ſuam diſtrictè conſtruet. Quùm inter hæc pro quadam per-

Virtutes veri obedientibus.

ſona oraſſet, quæ ex officio ſuo grauabatur: vidit eam inter has virgines deo aſsiſtentem: et dominum audiuit dicentẽ. Et quare inuita mihi decantat, cui ego in æternum dulciter decantare uolo? Cantus enim vnius diei ex obedientia, plus me delectat: q̃; omnis cãtus ex propria volũtate prolatus. Alia vice audiens cantari Reſponſorium. Vidi ciuitatem Ieruſalem ornatam et compoſitam de orationibus ſanctorum, cogitabat, quomodo ciuitas orationibus componi poſſet et ornari. Ad quod dominus reſpondit. Quatuor orationum generibus hæc ciuitas velut auro & gemmis decentiſsimè decoratur. Primum eſt, quando electi pro peccatis ſuis, humili et contrito corde ĩ oratione ueniam ſibi poſcunt. Secundũ eſt, quùm homines in tribulationibus per orationem ad deũ confugiunt: & quærunt reuelari. Tertium eſt, quùm quis fraternæ charitatis affectu, pro neceſsitate & miſeria alterius intercedit, hæc oratio multum accepta eſt deo: & cœleſtis Ieruſalem ab inde non modicum inſignitur. Quartum eſt, quùm ex puro amore, quo deum quis diligit, pro vniuerſali eccleſia, & pro ſingulis, velut pro ſeipſo: intercedit. Hæc oratio ſupernam Ieruſalem velut noui ſolis ortu perluſtrat.

De beata virgine Maria, & ſeptem
pediſſequis eius. Cap. LII.

Sabbato quodam, dum cantaretur miſſa. Salue ſancta parens, hæc deuota Chriſti ancilla, beatam virginem Mariam deuotè ſalutabat, petens vt remiſsionem peccatorum ſibi à domino obtineret, & viſum eſt ſibi, quaſi beatiſsima virgo ſtaret coram deo: & ipſa cecidit ad pedes eius, tangens fimbriam veſtimentorum eius in terram vſq; defluentium: & tetigit ex eis faciem ſuam. Surgensq; uidit plures virgines ipſam circunſtantes, & cupienti ſcire, quænam eſſent: dixit ei beata virgo. Omnes virgines iſtæ in terris mihi miniſtrabant. Quarum prima: eſt ſanctitas, quæ mihi miniſtrauit in vtero matris meæ: per repletionem ſpiritus ſancti. Secunda: eſt prudentia, quæ ſeruiuit mihi in pueritia ita, quod nunquã puerile aliquid geſſi: contra dei voluntatem. Tertia: eſt caſtitas, quæ miniſtrauit mihi in angelica ſalutatione, cuius amore victa: tunc angelo dedi reſponſa. Quarta: eſt humilitas, quæ me dei matrẽ effecit: cuius me ancillam recognoui. Quinta: eſt charitas, quæ filium dei de ſinu patris in vterum meum reclinauit, & ita me repleuit, vt ſicut corda prægnantium matrum ſolent deficere grauamine doloris; ita cor meum ſæpe defecit: ex

Pſ. 41. *magnitudine amoris. Et ſicut ceruus deſyderat ad fontes aquarum: ita ego deſyderabam videre filium, quem geſtabam. Sexta: eſt ſtudioſitas, quæ mihi ad omnia miniſtrabat, quæ filio meo nato erant neceſſaria ita: quod omnem in eo patris cõpleui voluntatẽ. Septima: eſt patientia, quæ mihi à prima hora natiuitatis filij mei vſq; in diem paſsionis eius miniſtrauit. Timor domini ſanctus fuit camerarius meus, qui nunq; permiſit labefieri pedes meos. Tunc illa dixit. O mea chariſsima domina obtine mihi has virtutes. Quæ reſpondit. Accede ad filium meum: & ipſum poſtula. Dominus autem ſedebat in reclinatorio aureo, fulcito duabus columnis, quaſi ſaphiro & auro ornatis. Anima verò procidit ad pedes eius, orãs vt hæ virtutes darentur ſibi & omnibus tẽtatis. Cui annuit dominus, quaſi aſsignans ei virgines aſtantes. Et reſpiciens vidit, quod vnaquæq; earum habebat in manu quaſi lanceolam acutã, quæ ſignificabat conſtantiam, per quam vitijs eſt reſiſtendum. Lanceolis etiã circumpoſita erant cymbala aurea, quæ dum cõmouerentur: dulciſsimũ in auribus dei reddebant ſonum. Cymbala ſignificabant cogitationes illas, quibus homo reſiſtit: faciens de vitijs victoriam: quæ dulciſsimũ deo & eddit ſonum. Et vidit quaſi innumeras circun*

ſtantes multitudines angelorum & ſanctorum: dixitq́; dominus. Omnia iſta millia millium hic aſſiſtentium, defenſores erunt omnium pro me certantium, contra omnes inſidias inimici.

Quomodo quis veram obtineat ſanctitatem. Cap. LIII.

Sabbato quodam, dum. Salue ſancta parens, cantaretur, ſalutans beatam virginem, orabat ipſam: vt veram ſibi obtineret ſanctitatem. Cui reſpondit. Si veram cupis ſanctitatem, tene te ad filium meum, qui eſt ipſa ſanctitas: omnia ſanctificans. Illa autem cogitante, quomodo hoc faceret: benigniſſima virgo reſpondit. Primò, tene te ad eius ſanctiſſimam infantiam, deſyderans, vt omnia pueritiæ tuæ commiſſa & neglecta: per eius innocentiſſimam pueritiam ſuppleantur. Secundo, tene te ad eius feruentiſſimam adoleſcentiã, quæ floruit in flagrantiſſimo amore ita: quod in eo ſolo ignis diuini amoris ſufficientem habuerit materiam, vt tepor et accædia tuæ iuuentutis per eam reparetur. Tertio, tene te ad diuinas virtutes eius, quatenus in eis tuæ virtutes nobilitentur & extollantur. Quarto, tene te ad filium meum, omnes cogitationes, verba, & facta tua in ipſum dirigendo, vt omnia imperfecta cogitationum,

verborum, et operum tuorum per eum diluantur: qui nunquã in his deliquit. Quinto, tene te ad ipſum ſicut ſponſa ad ſponſum, quæ de bonis eius cibatur & veſtitur; & quæ amore ſponſi, amicos eius, ac familiam diligit & honorat. Sic & anima tua verbo dei velut cibo optimo alatur; et ex diuitijs eius ideſt exemplo uirtutum eius, quas imitari debet: quaſi veſtimentis & ornamentis decentiſſimè componatur. Sexto, tene te ad familiã ſuam ideſt ad ſanctos, ipſos diligendo, & pro eis deum laudando, & ipſos ad dilectum, vt eum tecum ſimul collaudent: ſæpius dirigendo. Et ſic
Pſ. 17. verè ſancta eris: ſicut ſcriptum eſt. Cum ſancto ſanctus eris. Sicut regina ex ſui regis conſortio: regina erit. Cum autem in ſequentia. Aue maria, cantaretur. Saluatoris Chriſti templum extitiſti. Admonuit beatam virginem, quod ipſa fuit glorioſiſſimum, luminoſiſſimum & delicioſiſſimum dei templum. Tunc beata virgo apprehendit manum eius: & deduxit eam ad domum pulcherrimã, quadratis lapidibus altiſſimè conſtructam, nullam habentem feneſtram: & tamen intus lucidiſſimam, habentem ianuam paruam ex iaſpide rubeo, denſo factam: & in ea catenulam auream. Hæc domus glorioſam virginem figurabat. Quadrati lapides notabãt, quod in quatuor

elementis, quibus homo conſtat: optimè tempera ta fuit. In altitudine & luminoſitate intellexit, quod fuit altiſsima: contemplatione, luminoſiſsi- ma: cognitione. Per ianuam, eius exprimebatur miſericordia, quod omnibus ad ſe venientibus eſt ſicut mater. Per iaſpidem rubeum: eius mira pa tientia. Per catenulam auream: eius dilectio fi- guratur. Dixitq́; ad eã. Si talis domus dei effici deſyderas: in his virtutibus te exercere ſtudeas. Glorioſa autem uirgo habebat in dextera ſua qua tuor annulos, gemmis optimis inſignitos, poſuitq́; dexteram ſuam ſupra pectus animæ: dicens. En gemmis his omnia tentamentorum genera ſupera- bis. Omnis tentatio à quatuor vitijs oritur ſcili- cet ſuperbia, ira, luxuria: & acædia. Si igitur inflaris ſuperbia: oppone tibi humilitatem meam deuotiſsimam. Si ira moleſtaris, recole manſue- tudinem meam: qua ſuper omnes mitis eram. Si luxuria infeſtaris: recurre ad caſtitatem meam puriſsimam. Et ſi acædia tentaris: ad feruentiſ- ſimum amorem meum confugias; ſicq́; omnem ini mici virtutem & malitiam propulſabis.

De ſeptem coronis beatæ Mariæ vir ginis. Cap. LIIII.

IN quadam miſſa. Salue ſancta parens. Vi-

dit beatiſſimã virginẽ habentem coronam in capite, cuius flores inclinati erant ad terram: pallium verò eius rubeum, plenum coronis aureis: quæ omnes inclinatæ erant ad terram. Et inter ſingulas coronas: erat ſcriptum nomen coronæ. Corona capitis ſignificabat vnionem dei, quã ipſa maxime habet præ cæteris creaturis. Corona quæ tegebat humerum eius, habebat ſcriptum: mater dei et hominis. Corona circa pectus eius, habebat nomen: Regina angelorum. Quarta corona: gaudium omnium ſanctorum. Quinta: ſolamen omnium miſerorum. Sexta: refugium omnium pauperum. Septima: conſolatrix viuorum & mortuorum. Inclinatio coronarum ad terram, exprimebat quod ipſa in omnibus donis & gratijs à deo ſibi collatis: ad filios hominum eſt inclinata. Tunc illa orauit ſpecialiter pro quibuſdam ſibi commiſſis. Cui beata virgo. Si ebrius terreno uino largior erit ſobrio, quanto magis ego, quæ de ſumma diuini cordis dulcedine, bibo affluenter omnibus horis merum dulciſſimum diuinitatis? Poſt hæc datum eſt ei ſalutare cor virginis glorioſæ in his ſeptem articulis: in quibus nobis vtiliſſimum fuit præ omnibus cordibus poſt Chriſtum. Et primò, in deſiderio, quod præ omnibus patriarchis et prophetis maximè habuit ad Chriſti humanitatem.

Secundo, in amore, quia per amorem ardentiſſimum et humillimum: mater dei eſt effecta. Tertio, in dulciſſima pietate: qua tam affectuoſè paruulum Ieſum enutriuit. Quarto, in ſtudioſa conſeruatione verborum Chriſti. Quinto, in exemplo patientiæ paſſionis Chriſti. Sexto, in ſedula oratione et deſyderio pro eccleſia. Septimo, quod quotidie proficit in cœlo apud ſanctā trinitatem, noſtra deſyderia promouendo. Dū verò illa inclinaret ſe ad gloria patri, glorioſa virgo ſtans coram ea: ſimili modo ſe ſuper genua inclinabat. Super quo dum miraretur: intellexit diuinitus, quod ſicut præ omnibus creaturis eſſet electa & ſublimata: ita præ omnibus maiorem habebat gratitudinem in omnibus donis dei.

De Aue maria. Cap. LV.

Sabbato quodam, dū Salue ſancta parens, cantaretur. Dixit beatiſſimæ virgini. Si te o cœli regina, dulciſſima ſalutatione, qua vnquā cor humanum excogitare potuit; ſalutare poſſem: libentiſſimè ſalutarem. Statim beata virgo ei apparuit, habens in pectore ſcriptam aureis literis angelicam ſalutationem: & ait. Supra hanc ſalutationem nunquā homo peruenit, nec aliquis dulcius me ſalutare poterit: quā is, qui ſalutat me in

illa reuerentia, qua deus pater me per hoc verbũ, aue, ſalutauit, confirmans me omnipotentia ſua, vt eſſem immunis ab omni veh culpæ. Filius quoq; dei ſua diuina ſapientia ſic me perluſtrauit: vt ſim clarum ſydus, quo cœlum & terra illuſtratur, quod per hoc nomen, Maria (quod ſonat maris ſtella) notatur. Spiritus ſanctus etiã tota ſua diuina dulcedine me penetrando, tam gratioſam effecit: vt omnis, qui per me gratiam quærit, ipſam inueniat, quod innuitur per hoc verbum, gratia plena. In hoc quoq; verbo. Dominus tecum, admoneor ineffabilis vnionis & operationis, quã tota trinitas perfecit in me, quùm carnis meæ ſubſtantiam diuinæ naturæ in vna perſona copulauit ita, vt deus fieret homo: & homo deus. Quid illa hora gaudij & dulcedinis ſenſerim: nullus hominum ad plenum potuit experiri. Per, benedicta tu in mulieribus, omnis creatura mirãdo agnouit, & conteſtatur me benedictam & exaltatã ſuper omnem creaturam: tam cœleſtem quam terreſtrem. Per, benedictus fructus ventris tui, benedicitur et extollitur excellẽtiſſimus et perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam viuificauit, ſanctificauit, & in æternum benedixit. Et quùm gratioſiſſimam virginem oraret, vt in hora mortis ſibi adeſſe dignaretur: reſpõdit. Hoc

vtiq; faciã, ſed & tu quotidie lege mihi ter Aue maria. Ad primum, ora vt ſicut deus pater ſecundum omnipotentiæ ſuæ magnificentiam, animam meam ſecum in throno, digniſsimo ſublimauit honore, vt ſim poſt ipſum potentiſsima in cœlo & in terra: ita adſim tibi in hora mortis, confortando, & expellendo à te omnem contrariam poteſtatem. Ad ſecundum, ora ut ſicut filius dei ſecundum ſuæ inſcrutabilis ſapientiæ præualentiã, ſcientia & intellectu me artificioſiſsimè decorauit, & totam repleuit, vt ſuper omnes ſanctos maiori cognitione fruar beatiſsima trinitate, & qui me tanta claritate perluſtrauit, vt velut ſol radians in virtute, totum cœlum illuminẽ: ita in hora mortis, animam tuam lumine fidei, & cognitionis perfundam, ne fides tua ignorantia: aut aliquo errore tentetur. Ad tertium, ora vt ſicut ſpiritus ſanctus ſuauitatem ſui amoris plenè mihi infudit, & tam ſuauiſsimam & mitiſsimam effecit, vt poſt deum, benigniſsima & dulciſsima ſim: ita adſim tibi in hora mortis, infundendo animæ tuæ ſuauitatem diuini amoris, qui in tantum præualeat in te: vt omnis pœna, & mortis amaritudo ex amore tibi ſit præſuauis.

Ter in die ſalutanda eſt beata maria, ut eius ſuffragiũ in morte promereatur.

Qualiter beatiſsima virgo cum omni creatura ſalutetur. Cap. LVI.

IN miſſa. Salue ſancta parens. Quùm beatiſſimam virginem cuperet ſalutare: dixit ei dominus. Saluta matrem meam cum omni creatura: at illa cogitans qualiter hoc facere poſſet: vidit ſeraphicos ſpiritus ab auſtro venire, ſingulos accẽſas candelas baiulantes. Tunc illa diuinitus inſpirata intellexit, quod hi ſpiritus in eius miniſteriũ ſimul & adiutorium venirent: vt cum eis beatiſſimam virginẽ ſalutaret in amore, quo deum præ omni creatura in terris dilexit, qui amor in paſsione vnigeniti ſui, in ea tantum præualuit: vt omnẽ humanum affectum penitus deuinceret & extingueret, quia omni creatura in morte filij dei dolente, ipſa ſola cum diuinitate immobilis et gaudens; filium ſuum pro mundi ſalute voluit ĩmolari. Deinde cherubin cum ſpeculis aduenerunt, per quod agnouit, qualiter beatiſsimam virginem cum his ſalutare deberet in eminentiſsima et lucidiſsima cognitione, qua præ omni creatura in terris fruebatur, & qua nunc inacceſsibile lumen diuinitatis præ cunctis limpidius intuetur. Throni poſt hoc, eburneum thronum deferebant, per quod intellexit tranquilliſsimam & placidiſsimam requiem, qua eam deus inhabitauit, quæ in nullo humano

exercitio, ſiue cum filio in Ægiptum fugiens, ſiue rediens: ad momentum vnq; potuit perturbari. Dominationes, coronam miræ pulchritudinis portabant: in qua erant humana capita, miro candore venuſtata, per quod innuebatur, quod per virginem Mariam redemptio humano generi aduenit. Principatus, ſeptra florigera præferebant, in quo intellexit, quod cum his glorioſam uirginem extollere deberet: quod dei imaginem incōtaminatam in ſe; & decentiſſimè præ omni creatura repræſentat. Poteſtates, gladios habebant, per quod figurabatur, quod deus per maximam poteſtatem in cœlo & in terra ſuper omnem creaturam illi contulit: & ſpecialiter ſuper dæmones, qui eam in tantum tremunt: quod nec nomen eius ferre poſſunt. Virtutes, ſcyphos aureos deferebant, de quibus dominus ſeipſum in ucunditate bibebat. Per quod intellexit, quod homo ſe deo uirtutibus habilitat, vt ſe illi infundere: et per gratiā ſuam in eo operari valeat. Cum his etiā ſpiritibus glorioſam virginem ſalutare debebat: quia præ omnibus creaturis, gratijs & virtutibus plena erat. Archangeli, velum pulcherrimum protulerunt: quo dominum & matrem eius inſimul operuerunt, per quod figurabatur familiaritas inter deum & animam: qua etiam ſanctiſſima virgo

ſpecialiſsimè in terris fuit dotata. Angeli regi ſuo aſsiſtentes: miniſtrabant, per quod intellexit, cum ipſis debere matrem dei benedicere, & collaudare pro omni ſeruitio, quo dei filio in terris, ut fideliſsima ãcilla deuotiſsimè miniſtrauit. Poſt hos, patriarchæ & prophetæ aurea ſcrinia et clauſa deferebant. Per quod exprimebatur clauſa & obſcura eorum prophetia; quæ per virginem, & Chriſtum eſt adimpleta: & per ſpiritum ſanctũ nobis reſerata. Apoſtoli, libros ſplendidos & ornatos habebant, per quod fidelis doctrina eorũ, quæ per omnes fines terræ ſonuit, deſignabatur, quos etiam ſereniſsima virgo, doctrina exemplorum & virtutum ſuarum lorgè præcellit. Martyres, ſcuta aurea ĩ dextris ſuis, et roſas in ſiniſtris deſerebant, deſignantes victoriam paſsionis & conſtãtiam patientiæ: qua pro Chriſti nomine & amore ſanguinem ſuum fuderunt, quos beata virgo conſtantia & patientia ſua excellebat. Confeſſores etiam, turibula & phialas odore mirifico repertas obtulerunt, per quod deuotionis & orationis ſtudium notabatur, inter quos etiã beata virgo prima & excellentiſsima eſt inuenta. Virgines quoq;, aurea lilia ad honorem virgineæ matris præferebant, quia per eam inſigne decus uirginitatis in terra pullulauit. Poſt hoc omnes ſancti,

cti, ipſumq; cœlum & terra & omnis creatura ſimul aduocata animæ illi fœlici ſe inclinabant: in miniſterij adiutorium ſe illi exhibentes, ut cum ipſis dulciſsimam virginem dei matrem digniſsimè ſalutaret.

De ſalutatione beatiſsimæ virginis Mariæ. Cap. LVII.

INcidit aliquando mēti huius deuotæ ancillæ, vt iudicaret ſe dominæ noſtræ omnibus diebus vitæ ſuæ, minus deuotè quā debuerat: ſeruiuiſſe. Pro quo dolens, orabat dominum, vt de cætero glorioſæ matri ſuæ feruenti deuotione eam faceret deſeruire, ita tamen: vt nullum ex hoc impedimentū in ſui amoris vnione ſentiret. Et ſtatim vidit dominum cum matre regia in ſolio excelſo reſidentem: & matri dicentē. Surge proxima mea: da huic locum. Quod anima audiens, pauefacta cogitare cœpit: ne fortè phantaſia eſſet. Ad quā dominus. Verè verè dico tibi, non deciperis: nec vnquam in talibus decepta es. Tunc beata virgo animam in vlnas ſuas leuans, dilectoris ſui eam amplexibus ſociauit, quam dominus mira ſuauitate ſuſcipiens, os eius cordi ſuo diuino applicauit: dicens. Hinc hauries, quicquid matri meæ impendere cupis, ſenſitq; quaſi guttas ſibi inſtil-

lare hos verſiculos, nunquã antea viſos nec audi tos. Salue virgo excellentiſsima in ſtillicidio dul ciſsimo, quod de corde ſanctiſsimæ trinitatis ab æterno fluxit in te de tua fœliciſsima prædeſtinatione. Salue virgo ſanctiſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de corde beatiſsimæ trinitatis in te fluxit de tua fœliciſsima conuerſatione. Salue uirgo nobiliſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de beatiſsima trinitate fluxit in te de filij tui dulciſſima doctrina et prædicatione. Salue virgo amãtiſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de beatiſsima trinitate fluxit in te in tui vnigeniti filij paſsione & amariſsima morte. Salue virgo digniſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de beatiſsima trinitate fluxit in te in omni gloria et iucunditate, qua nũc gaudes, & in æternum gaudebis ſuper omnes creaturas in cœlo & in terra, prælecta ante mũdi conſtitutionem. Alia vice, quũm ſe culpabilem redderet pro eo, quod eius matrẽ nunquã (ut debuit) dilexiſſet: ait illi dominus. Pro hac tua negligentia, lauda matrẽ meam in fidelitate, qua mihi præ omnibus in vita ſua fideliſsima extitit, in omnibus actibus ſuis ſemper uoluntatem meam ſuæ præferens voluntati. Secundo, extolle fideli tatem ipſius, qua mihi in omnibus neceſsitatibus meis fideliſsimè aſtitit ita, vt omnia, quæ ego paſ

ſus ſum corpore: ipſa ſuſtinuerit in mente. Tertio, magnifica fidelitatē illam, qua adhuc in cœlo mihi fideliſsima eſt, acquirendo mihi peccatores, vt conuertantur, & animas vt à pœnis liberentur, quia ipſius interuentionibus innumeri peccatores ſunt conuerſi, & animæ iuſto iudicio meo æternis pœnis deputatæ, per eius miſericordiam ſunt reuocatæ, & à purgatorij igne liberatæ.

De Aue maria ante cōmunionem. Cap. LVIII.

DIe quadam poſt matutinas, in oratione dubitare cœpit, ſi in ſero. Dominæ noſtræ completorium dixiſſet: an non. Vnde contriſtata, deo negligentiam ſuam confitebatur: & illicò completorium perſoluit. Poſt hoc legit quinq; Aue maria, quæ dicere ſolebat: ātequ; ſumeret corpus Chriſti: quæ ad doctrinam aliorum conſcribimus. Primo, dominam noſtram admonebat illius ſanctiſsimæ ſuſceptionis, qua in virginali puritate filium dei concepit, angelo nunciante, & abyſſali humilitate ſibi eum à regalibus ſedibus intraxit. Et orabat obtineri ſibi mundam conſcientiam, & veram humilitatē. Secundo, illius melliſluæ ſuſceptionis, qua ipſum ſuſcepit; quúm primo eum in humanitate aſpexit; & verum deum agnouit, orans

obtineri ſibi veram dei cognitionē. Tertio, quod ōmni hora parata fuit gratiam ſuſcipere: nec vnquam eam in ſe impediuit, orans obtineri ſibi cor diuinæ gratiæ ſemper paratum. Quarto, quanta deuotione & gratitudine, dilecti filij ſui corpus in terris ſumebat, quia præ omnibus plenius agnouit: quanta ſalus homini ex hoc proueniret, petens, vt dignam gratitudinē ſibi obtineret. Quinto, illius amantiſsimæ ſuſceptionis, qua eam filius ad ſe vocauit, orans, vt obtineret ſibi accedere ad cōmunionem cum ſpirituali lætitia, quia ſi homo agnoſceret, quanta ſalus ex corporis Chriſti cōmunione prouenit: præ lætitia in ſe deficeret. Tūc vidit beatam virginem coram ſe ſtantem: & ipſam amplexibus ſtringentem ſenſit. At illa cœpit negligentiam ſuam conqueri: interrogans an completorium in ſero dixerit. Cui beata virgo. Quùm neſcis, ſi legeris, ſic eſt coram filio meo: ac ſi non feceris.

De gaudijs beatæ virginis Mariæ. Cap. LIX.

QVùm vice quadam appareret ei glorioſa virgo Maria, rogabat eam, vt dignaretur ipſam inſtruere, quid honoris ea die ſibi exiberet. Cui beata virgo reſpondit. Admone me gaudij.

quod habui, quùm filius dei tanquam ſponſus pro cedens de corde patris in vterum meũ venit, exultans vt gygas ad currendam viam. Secundo, gaudij, quod habui, quùm de virginali vtero meo prodiens: factus eſt mihi filius dulcedinis et gaudij. Alij filij matribus ſuis dolorem inferunt & triſtitiam, filius autẽ dei, qui ipſa dulcedo eſt: mihi matri ſuæ gaudium attulit & ſuauitatem. Tertio, gaudij, quod habui in magorum oblatione, vbi factus eſt mihi filius honoris, quia nunquam aliqua matrum in natiuitate filij talibus eſt donis honorata. Quarto, gaudij, quod habui, quùm filium meum in templum obtuli, ubi factus eſt mihi filius munditiæ & ſanctitatis. Quia ſicut aliæ matres ex hoc purificantur, ita ego quùm purificari nõ indigerem: purificatio illa mihi auxit ſanctitatem. Quinto, quia in paſſione extitit mihi filius mæſtitiæ & doloris. Sexto, quia in reſurrectione factus eſt mihi filius lætitiæ & exultationis. Septimo, quia in aſcenſione factus eſt mihi filius diuinæ maieſtatis: & regiæ dignitatis.

Qualiter dominus Ieſus eam matri ſuæ comendauit. Cap. LX.

QVùm vice quadam legeret euangelium. Stabat iuxta crucem Ieſu, in affectu mentis di- Ioan. 19.

xit ad dominum. Cōmenda me domine matri tuæ, ſicut dilectum tuū Iohannem ei: & eam Iohanni cōmendaſti. Statim dominus annuēs uotis eius: eam in manus matris tradidit, dicens. Cōmendo tibi o mater hanc animam, vt vulnera mea. Et ut meipſum (ſi vulneratus coram te iacerem) curare & linire velles: ſic eam ſollicitè foueas et cōſoleris in omnibus pœnis eius. Cōmendo etiam eā tibi, uelut precium mei ipſius, vt memineris, quāto precio eam æſtimaui: quùm pro amore eius, morti me ſubdere non recuſaui. Commendo inſuper eā tibi, ut id, in quo poſui omne delectamentum
Prouer. 8. cordis mei. Deliciæ enim meæ: eſſe cum filijs hominum. Tunc anima. O domine, hoc omnibus à te deſyderantibus uis facere? Reſpondit. Etiam. Non enim perſonarum acceptio eſt apud me.

Spritualis gratiæ libri primi
FINIS.

INCIPIT SPIRITVALIS GRATIAE LIBER SECVNDVS.

Qualiter deus animã inuitat. Cap. I.

SABBATO *quodam, dum ageretur memoria glorioſæ virginis matris dei, hæc ancilla Chriſti deſyderabat ipſã laudare, ſed ignorabat, qua laude eam poſſet extollere. Tunc (more ſolito) ad pedes Ieſu ſe proſternens, vidit dominum habentem ſuper dextro pede quaſi ſapphirum: et ſuper ſiniſtro granatũ. De quo dum miraretur: dixit ei dominus. Sicut ſapphirus ſua virtute malos depellit humores, ſic vulnera mea animæ repellunt virus: eamq; à maculis purificant. Et ſicut granatum cor hominis lætificat, ſic vulnera mea poſt emendationem peccatorum: animam ĩ me gaudere faciunt. Tunc rapta ſupra ſe, vidit in alto regem gloriæ, & ad dexteram eius, imperialem matrem ipſius: ſe uero ad ſiniſtram, et reclinãs ſe in ſinum dilectoris ſui: intenta aure cordis auſcultabat dulciſſimum cor ipſius pulſu vehemẽti ſine ceſſatione pulſare. Pulſus vero diuini cordis ſonabat, quaſi animam inuitaret: ita dicẽs. Veni, ut pœniteas. Veni, ut recõcilieris. Veni, ut cõſoleris. Veni, ut benedicaris.*

veni amica mea, ut percipias omnia, quæ amicus amico poterit elargiri. Veni ſoror mea, ut poſſideas cœleſtem hæreditatē: quam precioſo ſanguine meo tibi acquiſiui. Veni ſpōſa mea, ut diuinitate mea perfruaris. Beatiſsima autem virgo Maria habebat veſtimētum crocei coloris, in quo erant roſæ rubeæ: et in ipſis roſæ aureæ mirabiliter intextæ. Croceus color deſignabat eius humilitatem: qua omni creaturæ ſe ſubijciebat. Roſæ rubeæ: conſtantiam patientiæ, qua ad omnia mitis erat & patiens: Roſæ aureæ: amorem ipſius, quo omnia opera ſua in dei perficiebat amore. Subterior verò tunica erat viridis: roſiſ aureis ītexta, deſignans quod in bonis operibus, & virtutibus ſanctis ſemper florebat. Tunica autem interior erat ex auro puriſsimo & nimis fulgenti. Per aurum: figurabatur amor, et ſicut tunica proxima eſt corpori: ita amor cordi. Tunc illa ſalutabat præclariſsimam virginem per cor dilecti filij ſui, & laudabat eam per filium ſuum, perfectiori laude: q̄ aliqua creatura ipſam poſſet laudare. Poſt hoc rogabat dominum, vt ipſe ſolus in cantu eius laudaretur: et ut nil aliud ipſa quæreret: q̄ ſuam laudem. Cui dominus dixit. Quare putas, quod antiphonis impoſitis, inclinetis, niſi ut gratia, quā deus animæ infundit, cum gratiarum actione et lau

de ſuſcipiatur? Viditq; de corde dei tubam prodeuntem ad cor animæ, & iterum de anima circũuoluebatur ad cor dei: per quam laus dei ſignificabatur. Tuba etiam ornata erat aureis nodulis, per quos figurabantur illæ beatæ animæ; quæ iam dominum laudant & glorificant in cœlis per æterna ſecula.

Quod dominus Ieſus laudes pro ea deo patri perſoluit, et de tribus pulſibus diuini cordis eorũq; ſignificatione. Cap. II.

DIe quodam feſto, quùm poſt ſuſceptionem ſacratiſsimi corporis Chriſti, deo gratias ageret, ipſumq; dei filium Ieſum amantis animæ ſpõſum floridum oraret, vt ipſe pro tam inæſtimabili dono ſibi collato, amatorias laudes deo patri perſoluere dignaretur: vidit ipſum protinus patri cœleſti reuerenter aſtantem: & his verbis ipſum dignißimè extollentem. Cœtus in excelſis te laudat cœlicus omnis. Et mortalis homo: et cuncta creata ſimul. Vnde per hæc verba, Cœtus in excelſis, intellexit dominum intrahere ſibi concordiam vniuerſæ laudis cœleſtium; per illud & mortalis homo, ſimul in ſe counire omnium mortaliũ intentionem. Et per illud, & cuncta creata ſimul,

totius creaturæ eſſentiam etiã in ſeipſo ad laudem dei patris ordinare, & ſic ex parte omnium cœleſtiũ, terreſtrium et infernorum: pro ipſa laudem in conſpectu dei patris perſonare. Dehinc illa innixa ſupra pectus dilecti ſui, audiuit in intimis diuini cordis: quaſi tres pulſus perſonantes. Quod illa multum admirans, quùm ſcire cuperet, quid per tales pulſus notaretur: dominus reſpondit. Tres iſti pulſus, tria denotant verba: quibus animam alloquor amantem. Primum eſt. Veni; ſecedendo ſcilicet ab omnibus creaturis. Secundum eſt. Intra, videlicet fidenter tanquã ſponſa. Tertium eſt, thalamum ideſt cor diuinum. Per hæc verba intellexit, quod dominus primò euocat, quẽlibet electum ab omni creatura ita, vt omnibus delectamentis, quæ in aliqua inueniri poſſunt creatura, libera & plena voluntate ab renuncians: ipſi ſoli domino deo ſuo tota deuotione vacet. Deinde ſuadet dominus confidentiam, ut ſcilicet electus quiſq; tanquam ſponſa, quæ nullam omnino vereturr repulſam, fiducialiter ſemper accedat: et intret thalamum cordis diuini, in quo ſuper abundat copia totius delectationis & tantæ beatitudinis: quantam unq̃; cor humanum poterit exoptáre. Tunc illa vehementer deſyderabat, ut aliquem ſonum, ſiue motũ mereretur percipere vocis

filij dei; quæ intonare ſolet laudes deo patri. Cui dominus, vox mea: eſt præualentia diuinæ volũtatis meæ. Nam ſola diuina voluntate, omnia facta ſunt: & reguntur. Et omnis ſanctorum laus, gaudium, & beatitudo, ſolo meo nutu initiatur, & à me ipſo incipit:

De vinea domini ideſt eccleſia, & de quadruplici oratione. Cap. III.

DOminica quadã diũ. Aſperges me domine, decantaretur: dixit ad dominum. Mi domine, in quo nunc cor meum uis lauare et mundare? Statimq́; dominus cum inextimabili amore eam totã circumplectebatur: dicens. In amore diuini cordis mei te lauabo. Et aperuit ianuã cordis ſui melliflui, diuinitatis gazophilacium, in quod ipſa intrauit: velut in vineam. Viditq́; ibi flumen aquæ viuæ, ab oriente vſq; ad occidentem. Et circa flumen; duodecim arbores, afferentes duodecim. fructus ideſt virtutes, quas beatus Paulus enu- Gal. 5. *merat in epiſtola ſua, quæ ſunt, charitas, pax, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Hæc aqua vocabatur flumen charitatis. Intrauit itaq; anima: ibiq́; ab omnibus maculis lauabatur. In hoc flumine erat multitu-*

do piſcium, aureas ſquamas habentium, qui ſigni ficabant animas amantes, quæ ab omnibus terrenis delectationibus ſeparatæ: ſeipſas fonti omniū bonorum id eſt in Ieſum Chriſtum immerſerunt. In vinea erant palmites plantati, quidam erecti: & quidam ad terram inclinati. Erecti palmites ſunt illi, qui mundum cum floribus ſuis con tempſerunt: & mentes ſuas ad cœleſtia ſemper erigunt. Palmites vero inclinati, ſunt illi miſeri, qui in terreno puluere ſuarum cogitationū iacent. Dominus autē in ſpecie hortulani: in terrā fodebat. Cui illa. O domine quid eſt foſſorium tuum? Reſpondit. Timor meus. In quibuſdam verò locis, terra erat dura: in quibuſdam autem mollis. Terra dura, ſignificabat eorum corda, qui in pec catis durati: nec admonitione, nec increpatione corrigi ſciunt. Mollis autem terra, ſignificabat corda eorum: qui per lachrymas, et veram cordis contritionem ſunt emolliti. Dixitq; dominus. Hæc vinea mea, eccleſia eſt catholica: in qua triginta annis multo labore deſudaui. In hac vinea, tu mecum labora. Et illa. Qualiter? Cui dominus. Rigando eam. Statimq; anima cum impetu currens ad flumen, vrceum aqua plenum in humeris ſuis accepit. Et quùm valde eſſet onerata: venit dominum ſecum portans: factumq; eſt illi

onus leue. Et dixit dominus. Sic quúm gratiam hominibus tribuo, omnia videntur leuia & ſuauia: quæ propter me faciunt, aut ſuſtinent. Sed quùm gratiam ſubtraxero: cuncta eis grauia videntur. Circa palmites etiam, vidit angelorum multitudinem, quaſi murum, quia ipſi diſcurrunt inter nos, & circa nos: eccleſiam dei defendentes. Poſt hæc magiſtrorum optimus docuit eam pſalmum miſerere mei deus, qui habet viginti uerſus, quem deberet diſtinguere per quatuor, ſcilicet in quinq; & in quinq; cum antiphona. O beata, & benedicta, & glorioſa trinitas, pater & filius & ſpiritus ſanctus, tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ab omni creatura, miſerere, miſerere, miſerere nobis, & verſus Miſerere. Primos quinq; verſus, pro omnibus peccatoribus, qui peccatis indurati: ad dominũ conuerti nolunt, vt deus per amoroſam mortẽ ſuam, ad veram pœnitentiã eos dignetur reuocare. Secundos quinq; verſus, pro pœnitentibus, vt optatã remiſsionem conſequantur: et nunquã de cætero redeant ad peccata. Tertios quinq; verſus, pro iuſtis, qui iam in bonis actibus proficiunt: vt in eis perſeuerent. Quartos quinq; verſus, pro omnibus animabus purgandis, quæ ſunt in certitudine, quod citò in cœleſti regno ſunt bibituræ poculum fontis viui:

& in æternum cum Chriſto regnaturæ, vt citius abſolutæ: cum domino epulentur. Et quùm cantaretur Miſſa. Inter ſecretum, dum hoſtia eleuaretur: dixit ad eam dominus. Ecce me totum cum omni bono, quod eſt in me, dabo in poteſtatem animæ tuæ: vt quicquid de me facere velis: hoc totum ſit in tua poteſtate. Quod illa renuit accipere, ſed prælegit in omnibus eius voluntatem. Et dominus. Quod tu vis: hoc ſit in tua poteſtate. At illa voluntatem domini agnoſcens: dixit ad eum. Nihil meæ vtilitatis appeto, nihil quæro, nihil aliud volo; niſi vt hodie ſic à te ipſo, & in te ipſo, & per te ipſum lauderis: ſicut vnquã altiſsimè & perfectiſsimè laudari potes. Tunc vidit de corde dei cytharã exire, multas habentem chordas. Cythara illa: erat dominus Ieſus. Chordæ autẽ: omnes electi, qui in deo vnum ſunt per amorem. Tunc ipſe ſummus cantor omniũ cantorum Ieſus cytharam percuſcit, & ſono dulciſsimo intonabant omnes angeli: dicentes. Regem regum laudamus, trinum in perſonis, & vnum deum, qui elegit tę hodie in ſponſam & filiã. Deinde omnes ſancti cantabant in deo dulci harmonia: dicẽtes. Grates nunc reddamus deo patri pro hac anima: quam ſua ditauit gratia.

Qualiter deus ad animam venit. Cap. IIII.

NOcte quadam dum à ſomno euigilaret, et dominum ex intimis præcordijs ſalutaret: vidit ipſum de cœli palatio venientem ad ſe, & cor ſuum diuinum cordi ſuo applicantem: eiq; dicentem. Nunq; apis ſe auidiùs immittit in prata virẽtia ad carpendos dulces flores, ſicut ego paratus ſum ad tuam me uocantem animam venire. Sabbato etiam quodam, vidit ipſum ſponſum eccleſiæ Ieſum de cœlo ſe inclinantem, & expaſſis manibus in eius amplexus ruentem, eamq; medullitus ſic in ſe trahentem: ut tota abſorpta in deum, à ſe penitus deficeret, in tantũ ut à choro quaſi exanimis portaretur, quoniam ſpiritus eius totus trãſierat in ipſum, quem toto corde dilexit, et præ omnibus concupiuit. Et tam mira dulcedine replebatur: vt per ſeptimanam, dulcedinem illam ſentiret. Alia vice, lectionem lectura, dum ad pulpitum inclinaret, apparuit ei ſpecioſus præ filijs hominum puer Ieſus circumplectens eã, et ad ſe trahens, à quo cum magna difficultate & pœnalitate ſe erexit: & vix lectionem legere poterat. Sæpius etiam ei accidit, vt dum in matutinis, ita plena eſſet fruitione & dulcedine domini: ut omnem fortitudinem conſumpſiſſe; nec lectionem legere

lare hos verſiculos, nunquã antea viſos nec audi tos. Salue virgo excellentiſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de corde ſanctiſsimæ trinitatis ab æterno fluxit in te de tua fœliciſsima prædeſtinatione. Salue virgo ſanctiſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de corde beatiſsimæ trinitatis in te fluxit de tua fœliciſsima conuerſatione. Salue uirgo nobiliſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de beatiſsima trinitate fluxit in te de filij tui dulciſſima doctrina et prædicatione. Salue virgo amãtiſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de beatiſsima trinitate fluxit in te in tui vnigeniti filij paſsione & amariſsima morte. Salue virgo digniſsima in ſtillicidio dulciſsimo, quod de beatiſsima trinitate fluxit in te in omni gloria et iucunditate, qua nũc gaudes, & in æternum gaudebis ſuper omnes creaturas in cœlo & in terra, præelecta ante mũdi conſtitutionem. Alia vice, quùm ſe culpabilem redderet pro eo, quod eius matrẽ nunquã (ut debuit) dilexiſſet: ait illi dominus. Pro hac tua negligentia, lauda matrẽ meam in fidelitate, quæ mihi præ omnibus in vita ſua fideliſsima extitit, in omnibus actibus ſuis ſemper uoluntatem meam ſuæ præferens voluntati. Secundo, extolle fidelitatem ipſius, qua mihi in omnibus neceſsitatibus meis fideliſsimè aſtitit ita, vt omnia, quæ ego paſ

ſus ſum corpore: ipſa ſuſtinuerit in mente. Tertio, magnifica fidelitatē illam, qua adhuc in cœlo mihi fideliſsima eſt, acquirendo mihi peccatores, vt conuertantur, & animas vt à pœnis liberentur, quia ipſius interuentionibus innumeri peccatores ſunt conuerſi, & animæ iuſto iudicio meo æternis pœnis deputatæ, per eius miſericordiam ſunt reuocatæ, & à purgatorij igne liberatæ.

De Aue maria ante cōmunionem. Cap. LVIII.

DIe quadam poſt matutinas, in oratione dubitare cœpit, ſi in ſero. Dominæ noſtræ completorium dixiſſet: an non. Vnde contriſtata, deo negligentiam ſuam confitebatur: & illicò completorium perſoluit. Poſt hoc legit quinq; Aue maria, quæ dicere ſolebat: ātequā ſumeret corpus Chriſti: quæ ad doctrinam aliorum conſcribimus. Primo, dominam noſtram admonebat illius ſanctiſsimæ ſuſceptionis, qua in virginali puritate filium dei concepit, angelo nunciante, & abyſſali humilitate ſibi eum à regalibus ſedibus intraxit. Et orabat obtineri ſibi mundam conſcientiam, & veram humilitatē. Secundo, illius mellifluæ ſuſceptionis, qua ipſum ſuſcepit; quùm primo eum in humanitate aſpexit; & verum deum agnouit, orans

obtineri ſibi veram dei cognitionẽ. Tertio, quod omni hora parata fuit gratiam ſuſcipere: nec vnquam eam in ſe impediuit, orans obtineri ſibi cor diuinæ gratiæ ſemper paratum. Quarto, quanta deuotione & gratitudine, dilecti filij ſui corpus in terris ſumebat, quia præ omnibus plenius agnouit: quanta ſalus homini ex hoc proueniret, petens, vt dignam gratitudinẽ ſibi obtineret. Quinto, illius amantiſsimæ ſuſceptionis, qua eam filius ad ſe vocauit, orans, vt obtineret ſibi accedere ad cõmunionem cum ſpirituali lætitia, quia ſi homo agnoſceret, quanta ſalus ex corporis Chriſti cõmunione prouenit: præ lætitia in ſe deficeret. Tũc vidit beatam virginem coram ſe ſtantem: & ipſam amplexibus ſtringentem ſenſit. At illa cœpit negligentiam ſuam conqueri: interrogans an completorium in ſero dixerit. Cui beata virgo. Quùm neſcis, ſi legeris, ſic eſt coram filio meo: ac ſi non feceris.

De gaudijs beatæ virginis Mariæ. Cap. LIX.

QVùm vice quadam appareret ei glorioſa virgo Maria, rogabat eam, vt dignaretur ipſam inſtruere, quid honoris ea die ſibi exiberet. Cui beata virgo reſpondit. Admone me gaudij,

quod habui, quùm filius dei tanquam ſponſus pro cedens de corde patris in vterum meũ venit, exul tans vt gygas ad currendam viam. Secundo, gaudij, quod habui, quùm de virginali vtero meo prodiens: factus eſt mihi filius dulcedinis et gaudij. Alij filij matribus ſuis dolorem inferunt & triſtitiam, filius autẽ dei, qui ipſa dulcedo eſt: mihi matri ſuæ gaudium attulit & ſuauitatem. Tertio, gaudij, quod habui in magorum oblatione, vbi factus eſt mihi filius honoris, quia nunquam aliqua matrum in natiuitate filij talibus eſt donis honorata. Quarto, gaudij, quod habui, quùm filium meum in templum obtuli, ubi factus eſt mihi filius munditiæ & ſanctitatis. Quia ſicut aliæ matres ex hoc purificantur, ita ego quùm purificari nõ indigerem: purificatio illa mihi auxit ſanctitatem. Quinto, quia in paſſione extitit mihi filius mæſtitiæ & doloris. Sexto, quia in reſurrectione factus eſt mihi filius lætitiæ & exultationis. Septimo, quia in aſcenſione factus eſt mihi filius diuinæ maieſtatis: & regiæ dignitatis.

Qualiter dominus Ieſus eam matri ſuæ comendauit. Cap. LX.

QVùm vice quadam legeret euangelium. Sta bat iuxta crucem Ieſu, in affectu mentis di- Ioan. 19.

xit addominum. Cõmenda me domine matri tuæ, ſicut dilectum tuũ Iohannem ei: & eam Iohanni cõmendaſti. Statim dominus annuẽs uotis eius: eam in manus matris tradidit, dicens. Cõmendo tibi o mater hanc animam, vt vulnera mea. Et ut meipſum (ſi vulneratus coram te iacerem) curare & linire velles: ſic eam ſollicitè foueas et cõſoleris in omnibus pœnis eius. Cõmendo etiam eã tibi, uelut precium mei ipſius, vt memineris, quãto precio eam æſtimaui: quùm pro amore eius, mor ti me ſubdere non recuſaui. Commendo inſuper eã tibi, ut id, in quo poſui omne delectamentum
Prouer. 8. *cordis mei. Deliciæ enim meæ: eſſe cum filijs hominum. Tunc anima. O domine, hoc omnibus à te deſyderantibus uis facere? Reſpondit. Etiam. Non enim perſonarum acceptio eſt apud me.*

Spritualis gratiæ libri primi
FINIS.

INCIPIT SPIRITVA LIS GRATIAE LIBER SECVNDVS.

Qualiter deus animã inuitat. Cap. I.

SABBATO *quodam, dum ageretur memoria glorioſæ virginis matris dei, hæc ancilla Chriſti deſyderabat ipſã laudare, ſed ignorabat, qua laude eam poſſet extollere. Tunc (more ſolito) ad pedes Ieſu ſe proſternens, vidit dominum habentem ſuper dextro pede quaſi ſapphirum: et ſuper ſiniſtro granatũ. De quo dum miraretur: dixit ei dominus. Sicut ſapphirus ſua virtute malos depellit humores., ſic vulnera mea animæ repellunt virus: eamq; à maculis purificant. Et ſicut granatum cor hominis lætificat, ſic vulnera mea poſt emendationem peccatorum: animam ĩ me gaudere faciunt. Tunc rapta ſupra ſe, vidit in alto regem gloriæ, & ad dexteram eius, imperialem matrem ipſius: ſe uero ad ſiniſtram, et reclinãs ſe in ſinum dilectoris ſui: intenta aure cordis auſcultabat dulciſſimum cor ipſius pulſu vehemẽti ſine ceſſatione pulſare. Pulſus vero diuini cordis ſonabat, quaſi animam inuitaret: ita dicẽs. Veni, ut pœniteas. Veni, ut recõcilieris. Veni, ut cõſoleris. Veni, ut benedicaris.*

veni amica mea, ut percipias omnia, quæ amicus amico poterit elargiri. Veni ſoror mea, ut poſſideas cœleſtem hæreditatē: quam precioſo ſanguine meo tibi acquiſiui. Veni ſpōſa mea, ut diuinitate mea perfruaris. Beatiſſima autem virgo Maria habebat veſtimētum crocei coloris, in quo erant roſæ rubeæ: et in ipſis roſæ aureæ mirabiliter intextæ. Croceus color deſignabat eius humilitatem: qua omni creaturæ ſe ſubijciebat. Roſæ rubeæ: conſtantiam patientiæ, qua ad omnia mitis erat & patiens: Roſæ aureæ: amorem ipſius, quo omnia opera ſua in dei perficiebat amore. Subterior vero tunica erat viridis: roſis aureis ītexta, deſignans quod in bonis operibus, & virtutibus ſanctis ſemper florebat. Tunica autem interior erat ex auro puriſſimo & nimis fulgenti. Per aurum: figurabatur amor, et ſicut tunica proxima eſt corpori: ita amor cordi. Tunc illa ſalutabat præclariſſimam virginem per cor dilecti filij ſui, & laudabat eam per filium ſuum, perfectiori laude: q̄ aliqua creatura ipſam poſſet laudare. Poſt hoc rogabat dominum, vt ipſe ſolus in cantu eius laudaretur: et ut nil aliud ipſa quæreret: q̄ ſuam laudem. Cui dominus dixit. Quare putas, quod antiphonis impoſitis, inclinetis, niſi ut gratia, quā deus animæ infundit, cum gratiarum actione et lau

de ſuſcipiatur? Viditq; de corde dei tubam prodeuntem ad cor animæ, & iterum de anima circũuoluebatur ad cor dei: per quam laus dei ſignificabatur. Tuba etiam ornata erat aureis nodulis, per quos figurabantur illæ beatæ animæ; quæ iam dominum laudant & glorificant in cœlis per æterna ſecula.

Quod dominus Ieſus laudes pro ea deo patri perſoluit, et de tribus pulſibus diuini cordis eorũq; ſignificatione. Cap. II.

DIe quodam feſto, quùm poſt ſuſceptionem ſacratiſsimi corporis Chriſti, deo gratias ageret, ipſumq; dei filium Ieſum amantis animæ ſpõſum floridum oraret, vt ipſe pro tam inæſtimabili dono ſibi collato, amatorias laudes deo patri perſoluere dignaretur; vidit ipſum protinus patri cœleſti reuerenter aſtantem: & his verbis ipſum dignißimè extollentem. Cœtus in excelſis te laudat cœlicus omnis. Et mortalis homo: et cuncta creata ſimul. Vnde per hæc verba, Cœtus in excelſis, intellexit dominum intrahere ſibi concordiam vniuerſæ laudis cœleſtium; per illud & mortalis homo, ſimul in ſe counire omnium mortaliũ intentionem. Et per illud, & cuncta creata ſimul,

totius creaturæ eſſentiam etiã in ſeipſo ad laudem dei patris ordinare, & ſic ex parte omnium cœleſtiũ, terreſtrium et infernorum: pro ipſa laudem in conſpectu dei patris perſonare. Dehinc illa innixa ſupra pectus dilecti ſui, audiuit in intimis diuini cordis: quaſi tres pulſus perſonantes. Quod illa multum admirans, quùm ſcire cuperet, quid per tales pulſus notaretur: dominus reſpondit. Tres iſti pulſus, tria denotant verba: quibus animam alloquor amantem. Primum eſt. Veni; ſecedendo ſcilicet ab omnibus creaturis. Secundum eſt. Intra, videlicet fidenter tanquã ſponſa. Tertium eſt, thalamum ideſt cor diuinum. Per hæc verba intellexit, quod dominus primò euocat, quẽlibet electum ab omni creatura ita, vt omnibus delectamentis, quæ in aliqua inueniri poſſunt creatura, libera & plena voluntate ab renuncians: ipſi ſoli domino deo ſuo tota deuotione vacet. Deinde ſuadet dominus confidentiam, ut ſcilicet electus quiſq; tanquam ſponſa, quæ nullam omnino veretur repulſam, fiducialiter ſemper accedat: et intret thalamum cordis diuini, in quo ſuper abundat copia totius delectationis & tantæ beatitudinis: quantam unq̃; cor humanum poterit exoptáre. Tunc illa vehementer deſyderabat, ut aliquem ſonum, ſiue motũ mereretur percipere vocis

filij dei; quæ intonare ſolet laudes deo patri. Cui dominus, vox mea: eſt præualentia diuinæ volũtatis meæ. Nam ſola diuina voluntate, omnia facta ſunt: & reguntur. Et omnis ſanctorum laus, gaudium, & beatitudo, ſolo meo nutu initiatur, & à me ipſo incipit:

De vinea domini ideſt eccleſia, & de quadruplici oratione. Cap. III.

Dominica quadã diũ. Aſperges me domine, decantaretur: dixit ad dominum. Mi domine, in quo nunc cor meum uis lauare et mundare? Statimq; dominus cum inextimabili amore eam totã circumplectebatur: dicens. In amore diuini cordis mei te lauabo. Et aperuit ianuã cordis ſui melliflui, diuinitatis gazophilacium, in quod ipſa intrauit: velut in vineam. Viditq; ibi flumen aquæ viuæ, ab oriẽte vſq; ad occidentem. Et circa flumen; duodecim arbores, afferentes duodecim fructus ideſt virtutes, quas beatus Paulus enumerat in epiſtola ſua, quæ ſunt, charitas, pax, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Hæc aqua vocabatur flumen charitatis. Intrauit itaq; anima: ibiq; ab omnibus maculis lauabatur. In hoc flumine erat multitu- Gal. 5.

dopiſcium, aureas ſquamas habentium, qui ſigni ficabant animas amantes, quæ ab omnibus terrenis delectationibus ſeparatæ: ſeipſas fonti omniũ bonorum ideſt in Ieſum Chriſtum immerſerunt. In vinea erant palmites plantati, quidam erecti: & quidam ad terram inclinati. Erecti palmites ſunt illi, qui mundum cum floribus ſuis contempſerunt: & mentes ſuas ad cœleſtia ſemper erigunt. Palmites vero inclinati, ſunt illi miſeri, qui in terreno puluere ſuarum cogitationũ iacent. Dominus autẽ in ſpecie hortulani: in terrã fodebat. Cui illa. O domine quid eſt foſſorium tuum? Reſpondit. Timor meus. In quibuſdam verò locis, terra erat dura: in quibuſdam autem mollis. Terra dura, ſignificabat eorum corda, qui in peccatis durati: nec admonitione, nec increpatione corrigi ſciunt. Mollis autem terra, ſignificabat corda eorum: qui per lachrymas, et veram cordis contritionem ſunt emolliti. Dixitq́; dominus. Hæc vinea mea, eccleſia eſt catholica: in qua triginta annis multo labore deſudaui. In hac vinea, tu mecum labora. Et illa. Qualiter? Cui dominus. Rigando eam. Statimq́; anima cum impetu currens ad flumen, vrceum aqua plenum in humeris ſuis accepit. Et quùm valde eſſet onerata: venit dominum ſecum portans: factumq́; eſt illi

onus leue. Et dixit dominus. Sic quùm gratiam hominibus tribuo, omnia videntur leuia & ſuauia: quæ propter me faciunt, aut ſuſtinent. Sed quùm gratiam ſubtraxero: cuncta eis grauia videntur. Circa palmites etiam, vidit angelorum multitudinem, quaſi murum, quia ipſi diſcurrunt inter nos, & circa nos: eccleſiam dei defendentes. Poſt hæc magiſtrorum optimus docuit eam pſalmum miſerere mei deus, qui habet viginti uerſus, quem deberet diſtinguere per quatuor, ſcilicet in quinq; & in quinq; cum antiphona. O beata, & benedicta, & glorioſa trinitas, pater & filius & ſpiritus ſanctus, tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ab omni creatura, miſerere, miſerere, miſerere nobis, & verſus Miſerere. Primos quinq; verſus, pro omnibus peccatoribus, qui peccatis indurati: ad dominũ conuerti nolunt, vt deus per amoroſam mortẽ ſuam, ad veram pœnitentiã eos dignetur reuocare. Secundos quinq; verſus, pro pœnitentibus, vt optatã remiſsionem conſequantur: et nunquã de cætero redeant ad peccata. Tertios quinq; verſus, pro iuſtis, qui iam in bonis actibus proficiunt: vt in eis perſeuerent. Quartos quinq; verſus, pro omnibus animabus purgandis, quæ ſunt in certitudine, quod citò in cœleſti regno ſunt bibituræ poculum fontis viui;

Qualiter deus ad animam venit. Cap. IIII.

NOcte quadam dum à ſomno euigilaret, et dominum ex intimis præcordijs ſalutaret: vidit ipſum de cœli palatio venientem ad ſe, & cor ſuum diuinum cordi ſuo applicantem: eiq́; dicentem. Nunq̄; apis ſe auidius immittit in prata virẽtia ad carpendos dulces flores, ſicut ego paratus ſum ad tuam me uocantem animam venire. Sabbato etiam quodam, vidit ipſum ſponſum eccleſiæ Ieſum de cœlo ſe inclinantem, & expaßis manibus in eius amplexus ruentem, eamq́; medullitus ſic in ſe trahentem: ut tota abſorpta in deum, à ſe penitus deficeret, in tantũ ut à choro quaſi exanimis portaretur, quoniam ſpiritus eius totus trãſierat in ipſum, quem toto corde dilexit, et præ omnibus concupiuit. Et tam mira dulcedine replebatur: vt per ſeptimanam, dulcedinem illam ſentiret. Alia vice, lectionem lectura, dum ad pulpitum inclinaret, apparuit ei ſpecioſus præ filijs hominum puer Ieſus circumplectens eã, et ad ſe trahens, à quo cum magna difficultate & pœnalitate ſe erexit: & vix lectionem legere poterat. Sæpius etiam ei accidit, vt dum in matutinis, ita plena eſſet fruitione & dulcedine domini: ut omnem fortitudinem conſumpſiſſe; nec lectionem legere

poſſe ſibi videretur: dominus diceret ad eam. Vade, et lege: nam ego te adiuuabo. Sicq; cum magna conſtantia lectionem incipiens; eam compleuit. Quadam etiam vice, dum ad matutinas euangelium. Exurgens maria, legeret, tanta illam dominus gratia & dulcedine perfudit: vt à ſe penitus deficiens, lectionem intermitteret, & à choro quaſi exanimis portaretur. Cumq; in lectum pauſatura reclinaretur; rogabat dominum: vt hora competenti eam excitaret. Et ecce ante primam, uidit in viſu iuuenem pulcherrimum coram ſe ſtantem, ex cuius præſentia, cor eius tantam ſenſit dulcedinem: vt inde excitaretur.

Quomodo dominus eam excitauit.
Cap. V.

ALia vice quùm ex præcepto poſt matutinas dormitum rediſſet. Vidit dominū quaſi in ſublimi ſolio reſidentem, ſub pedibus ſcabellum habentem: eiq; dicentem. Hic ſuper pedes meos reclinans: dormi. Quæ ſtatim obediens, caput ſuper pedes eius reclinauit ita, ut auris eius vulneri pedis aptaretur. Tūc audiuit vulnus illud quaſi ollam feruentem ebullire. Et dixit ad illam dominus. Quem ſonum dat coquens olla? At illa dū cogitaret ſe neſcire: reſpondit dominus. Olla ebul

liens ſonat, ac ſi dicat. Curre, curre. Sic amor cordis mei ſemper inſtigauit me: dicens. Curre, curre de labore ad laborem, de ciuitate ad ciuitatem, de prædicatione ad prædicationem, nec unq; me quieſcere permiſit; donec omnia ſaluti tuæ neceſſaria uſq; ad finem compleui.

De oſculo domini. Cap. VI.

Contriſtata vice quadam, per orationis ſubſidium (ſolito more) confugit ad dominum, ipſi cor ſuum & voluntatem offerens ita, vt non ſolum hoc, ſed etiam quæq; pro eius amore libenter ad verſa ſufferret. Ad quam dominus Ieſus dulciter ſe inclinans, os ſuum roſeum ei præbuit oſculandum. Sentiēs autem anima ipſum barbam non habere, cogitare cœpit, ſi aliquod præmium à deo patre pro euulſione barbæ in paſſione accepiſſet. Cui dominus. Ego creator vniuerſorum non indigeo vllo præmio, ſed tu es præmium meum, te enim pater meus cœleſtis in ſponſam & filiā mihi donauit. Et anima. Qur amātiſſime domine hoc in me facis, quum nihil boni ſit in me? Reſpōdit. Solūmodo propter bonitatem meam, quia delectamentum cordis mei poſui in te.

Qualiter dominus ei apparuit. Cap. VII.

ALia vice apparuit ei dominus Ieſus quaſi puerulus quinq; annorum. Quæ dixit ei. Mi domine, quùr in tali etate mihi appares? Et reſpondit. Tu modò quinquaginta habes annos: & ego quinq;. Primus annus meus, ſtabit pro decem annis vitæ tuæ. Secundus ſtabit pro viceſimo tuo. Tertius pro triceſimo. Quartus pro quadrageſimo. Quintus pro quinquageſimo tuo. Sicq; omnia peccata tua delebuntur: & anni tui ſanctificabuntur, totaq; conuerſatio tua ex mea conuerſatione perfecta erit. Puer itaq; ſtabat, manus ſuas perſpiciens. Et quùm ſuper hoc illa miraretur: puer reſpondit. Sicut homo manus ſuas ſæpius reſpicit, ſic ab infantia vſq; ad diem paßionis meæ, quotidie mortē meam in corde meo reuoluebā, & omnia præcognoui; quæ ventura erant ſuper me. Per quod inſtruebatur, quia bonum eſt homini, mortē et ea quæ futura ei ſunt: ſæpius memorare.

Quod dominum in ſpecie diaconi vidit. Cap. VIII.

ITem in quadam miſſa, vidit dominum Ieſum ſtantē iuxta altare in dalmatica, habentem in pectore crucem nimis præfulgentem. Tunc illa dixit. Mi domine dilecte, quare ſic te oſtendis?

Et ille. Sicut diaconus ad altare miniſtrat, ſic ego omnia cum ſacerdote & in ſacerdote operor: quæ ipſe operatur. Et illa. Quid deſignat crux, quã geſtas in pectore? Reſpondit. Superior pars crucis, amorem meũ deſignat: cui homo nihil præponere debet. Inferior pars: humilitatem, qua homo omni creaturæ ſe debet ſubijcere, propter me. Dextera pars, timorem dei in poſteris non poſtponere. Siniſtra: aduerſa propter me patienter tolerare. Siquis hanc crucem in corde ſuo per iugem memoriã geſtauerit, hæc erit merces laboris eius, quod quum primũ anima eius de corpore exierit: nuſquã niſi in corde meo manſionem habebit.

De cruce & ſerica veſte domini. Cap. IX.

RApta quandoq; in ſpiritu vidit ſe in domo quadam miræ pulchritudinis, quàm benè cor Chriſti eſſe recognouit; & procidens in terram, inuenit crucem magnam in ipſo pauimento, ſuper quam anima corruit, & ecce de crucis medio aureum iaculum acutum exibat: & ipſam pertranſibat. Audiuitq; dominum ſic dicentẽ: Omnis terrena ſubſtantia vnã animam lætificare non poſſet, ſed tota eius ſalus, ſummaq; gloria: in pœnis & tribulationibus conſiſtit. Anima verò mul-

tum contriſtabatur & anxiebatur, eo quod vnicum ſibi dilectum, licet audiret: minimè tamen videret. Quumq; magno deſyderio ipſum exquireret: apparuit continuò ſtans ante ipſam in veſte ſerica rubea, & apprehendens manum eius; ipſam dulciſſimè alloquebatur. Anima autem ſentiens nimiam molliciem ac lenitatem veſtimenti eius, cogitare cœpit: quid per hoc deſignari poſſet. Cui dominus. Sicut ſerica veſtis lenis & mollis eſt: ſic omnis pœna & tribulatio animæ deum verè amãti eſt ſuauis. Et ait anima. Hoc in principio pœnæ ita eſt: quùm in affectu nimio anima ipſam attigerit: Sed quùm pœna inualuerit: valde grauis illi erit. Ad quod dominus. Verum eſt. Sed ſicut ſerica veſtis quùm cum auro & gemmis ornatur, nequaq; propter grauitatem proÿcitur, aut deteſtatur, ſed ex hoc nobilitatur: & carior habetur, Ita fidelis anima propter acerbitatem, pœnam non recuſabit, quia omnes virtutes eius ex hoc nobilitantur: & omne præmium eius exinde infinitum cumulatur.

De flagello domini Cap. X.

VIdit aliquando dominum ſtantem, aureum flagellum in manu tenentem: illiq; minãtem. Tunc illa corruit in terram: & flagellum domini

amplexabatur. Per quod ſignificabatur, quod homo cum gratitudine dona dei ſuſcipere debet; tam proſpera q́; aduerſa. Dominus autē eleuans eam, induit ipſam tunicam rubeam foraminibus plenā: dixitq; ei. Sic corpus meum in paßione totū erat undiq; perforatum, & doloribus laceratum ita, ut à planta pedum uſq; ad verticem capitis; non eſſet in me veſtigium ſanitatis. In hoc præfigurabatur, quod moleſtia infirmitatis eam in breui eſſet oppreſſura. Vidit etiam dominum, calicem aureum retrò ipſam tenentem, per quod intellexit, quia dulcedo, quam deus animæ infuſurus eſt: nec dum videtur, neq; guſtatur: ſed eſt abſcondita in deo, à quo bona cuncta procedunt.

De conſolatione eius. Cap. XI.

HAnc dei famulam inimicus crebris tentationibus valde infeſtabat: ſicut quoſq; deo deuotos ſolitus eſt moleſtare. Contigit itaq; die quadam ut deus ſuam gratiam eidem participaſſet: & magnum bonū animæ eius feciſſet. Quùm autem in eius præſentia eſſet, affuit tentator immittens cordi eius timorem illum et triſtitiam: quod donum illud non eſſet à deo. Et quùm nimium affligeretur, corruit ad pedes Ieſu: & conquerebatur infidelitatem cordis ſui; dicens. Ecce do-

mine mi, hoc donum offero tibi ad æternam laudem & gloriam, orans, vt ſi donum hoc non eſt à te: nunquam amplius detur mihi, quia omni dulcedine & conſolatione propter te libentiſſimè carebo. Quam dominus proprio nomine vocans: dixit. Mi dilecta Mechtildis noli timere, ego iuro tibi per veritatem meæ diuinitatis, quia timor & triſtitia hæc tibi nō nocebunt, ſed magis ſanctificabunt: & ad gratiam meam te præparabunt. Et ſi hæc cordis tui gaudium nō temperarent: cor tuum nimia dulcedinis affluentia diſſolui oporteret. Noli mirari, ſi te cogitationes impugnant, cū ſis in mea præſentia, quia & inimicus me tentabat: quùm propter te penderem in cruce.

Qualiter deus animam ſuſtentat. Cap. XII.

ALia vice, quùm nimiū eſſet turbata: confugijt ad dominū fideliſſimum adiutorē. Et cōtinuò apparuit ei Chriſtus quaſi adoleſcentulus ſpecioſus; ducens eam ad altare. In quo cognouit, quod dominus proloquutor eius eſſe uellet apud patrem ſuum pro negligentijs & commiſſis eius. Et dedit illi baculum ad ſuſtentandum, qui non habebat capitellum: quo poſſet ſuſtentari. Baculus ille humanitatem Chriſti figurabat. Et dum mira

vetur, quùr capitellum non haberet: dixit ei dominus. Ego volo manum meā ponere ſuper illum: vt inde ſuſtenteris. Quùm igitur ſolatium in mœrore tibi dedero: ſcias, quia in manu mea requieſcis. Sed quùm non ſentis coſolationem; ſcias, quod manum meam ſubtraxi: & tunc fideli corde mihi adhæreas.

De deſyderio quod habuit ad cōmunicandum. Cap. XIII.

DIe quadam volebat cōfiteri, ſed confeſſorem non habens, multum turbabatur: eo quod corpus domini inconfeſſa ſumere non audebat. Tunc in oratione cœpit in amaritudine animæ ſuæ conqueri deo ſummo ſacerdoti negligentias & culpas ſuas: qui dabat ei certitudinem de remiſsione omnium peccatorum ſuorum. De quo gratias agens: dixit ad dominum. O dulciſsime deus, quomodo nunc eſt circa peccata mea? Qui reſpondit. Sicut quùm rex præpotens venturus eſt in aliquod hoſpitium, domus velociter mundatur: ne aliquid appareat ibi, quod eius oculos offendat. Sed quùm tam propè eſt, quod immunditiæ non poſſunt foras eijci: in angulum colliguntur, vt poſtmodùm inde proijciantur. Sic quùm integram voluntatem & deſyderium habes confitendi peccata, nec ea

poſtmodum iterandi: omnia ſic coram me delentur, quod eorum amplius nõ recordabor, licet poſt modum per confeſsionem retractentur. Voluntas autem, & deſyderium, ac ſtudium quod habes euitandi peccata, in quantum ſcis & potes, eſt quaſi vinculum, quod te mihi aſtringit & copulat fœdere indiſſolubilis vnionis. Sed quum adhuc varijs cogitationibus hæſitaret, reputans ſe indignam accedere ad imperiale conuiuium regis angelorum: cogitans qualiter imparata, nec confeſſa magnificum perciperet donum. Inſuper etiam ſpem & conſolationem ſibimet ingereret: ait illi dominus. Cogita, quod omne deſyderium, quod vnquã aliquis ad me habuit: à me illi inſpiratum eſt. Et omnis ſcriptura & ſanctorũ eloquia à ſpiritu meo effluxerunt, & effluent ſine fine. In hoc cognouit, quia hoc deſyderium, quod habebat ad cõmunicandum: à ſpiritu ſancto ſibi foret inſpiratum. Acceptaq; fiducia, in tantum cor eius confirmatum eſt: vt ei videretur, ab hoc deſyderio nullo modo poſſe reuocari. Quùm autẽ ſic eſſet confirmata, audiuit choros angelorũ in cœlo, cum lætitia perſonare. Confirmatum eſt cor virginis. Et ſic acceſsit ad communionem corporis Chriſti. Quo percepto audiuit dominũ dicentem. Vis agnoſcere, quomodo ego ſum in anima tua? At illa ſe

indignam æſtimans: nihil aliud volebat, quā dei voluntatem. Tunc vidit ex omnibus membris ſuis ſplendorem mirificum egredi, tanquā ſolis radios. Per quod agnouit diuinæ gratiæ operationē in ſe; & bonitatis dei erga ſe præcipuum indicium.

Quòd anima in corde dei nidifi- cet. Cap. XIIII.

ALia vice poſt cōmunionem ſanctam, dixit ad eam dominus. Ego in te, & tu in me in omni potentia mea: ſicut piſcis in aqua. Et illa. O mi domine, piſces ſæpe de aqua trahuntur, & quid ſi ita mihi acciderit? Reſpondit dominus. Non poteris extrahi à me: ſed nidificabis in corde meo diuino. Et illa. Quid erit nidus meus? Reſpondit. Humilitas in omni dono & gratia à me tibi collata. Et anima. Sicut piſces in aqua fructificant, et quid erit fructus meus? Reſpondit. Quā do me cœleſti patri offers in gaudium & gloriam pro omnibus ſanctis, tunc eorum gaudium et munera ita augumentantur: ac ſi ipſi corporaliter me ſuſceperint in terris, et hic eſt fiructus tuus.

Qualiter amor omnia eius neglecta ſuppleuit. Cap. XV.

ALia vice, quùm tempus ſibi à deo conceſſum inutiliter expenſum in amaritudine cordis ſui

recogitaret, & dona dei ingratam abſq; fructu cõſumpſiſſe ſe rememoraret: dixit ei amor. Ne turberis, ecce ego omnia debita tua recuperabo: & cuncta neglecta pro te ſupplebo. Et quùm hoc donum magnum ei videretur, non poterat tamen conſolari præ nimietate mœroris: eo quod tanta bona amiſiſſet, & dominum amatorem ſuum, qui tam innumera bona ipſi contulit; tã ardenter non amaſſet, & quod tam infidelis illi extitiſſet, qui ei & omnibus fideliſsimus eſt. Cui dominus. Si mihi perfectè fidelis es, tunc multo charius tibi eſſe debet: ut amor meus neglecta tua pro te ſuppleat, quam tu: ut ipſe ex hoc laudem habeat et honorẽ.

Quòd ei dominus amorem in matrem condonauit. Cap. XVI.

Vice quadam circundedit eam amor veſtimento ſolaris luminis. Et acceſſerunt ambæ uidelicet amor & anima, & ſtabant in Chriſti præſentia tanquam virgines pulcherrimæ. Anima verò multùm affectabat propiùs accedere, quia quamùis imperialem illius faciem cõtemplaretur: non tamen illi ſufficiebat. Tunc amor aſſumens animam, duxit ad dominum. Illa autem reclinauit ſe ad vulnus melliflui cordis ſaluatoris ſui unici, hauriens inde pocula omnis dulcedinis et ſuaui

tatis pleniſſima. Ibiq; omnis amaritudo eius verſa eſt in dulcorem, & timor eius mutatus eſt in ſecuritatem. Ibi etiam de corde Chriſti ſuauiſſimo eſuxit dulciſſimum fructum, quem aſſumens de corde dei in os ſuum poſuit. Per quod ſignificabatur illa æterna laus, quæ de corde dei procedit, quia omnis laus, qua ipſe laudatur, effluit ab illo: qui eſt principium & finis omnis boni. Deinde alium aſſumpſit fructum ſcilicet gratiarum actionẽ quia nihil poteſt anima à ſeipſa: niſi præueniatur à deo. Et ait dominus ad eam. Adhuc præ omnibus vnum à te fructum deſydero, ſcilicet ut omne cordis tui delectamentum in me ſolum effundas. Et illa. O amator vnice, quomodo poſſum hoc facere? Qui reſpondit. Amor meus in te perficiet. Tunc illa ex nimio affectu gratitudinis, dixit. Eya, eya, amor, amor, amor. Et dominus. Tu matrem tuam aliam nominabis minimè. Sed amor meus erit mater tua. Et ſicut filij ſugunt matres ſuas: ſic & tu ſuges ab ea internam conſolationẽ, & ſuauitatem inenarrabilem. Illa etiam te cibabit, & potabit, ac veſtiet, & in omnibus neceſſitatibus tuis, velut mater filiam ſuam vnicam procurabit.

Qualiter vnum cum dilecto eſt effecta. Cap. XVII.

ALia uice quùm in oratione feruenti dilectum animæ ſuæ deſyderaret, ſubitò diuina virtus ainmam eius in tantum ſibi attraxit: vt videretur ei ad latus domini conſedere. Dominus autem animam cordi ſuo perdulcem amplexum imprimens, tam abundè ſua gratia eam perfudit: vt ui deretur ſibi de omnibus membris ſuis tanquam riuulos effluere in omnes ſanctos ita; ut omnes nouo & ſpeciali gaudio perfuſi: corda ſua uelut lampades perlucidas in manibus tenerent repletas dono illo, quod deus animæ infuderat, cum magna gratitudine & lætitia domino pro anima illa gratias rependentes. Deinde vidit in corde dei quaſi virginem pulcherrimam, habentem annulum in manu, in quo erat lapis adamas, cum quo ſine intermiſſione cor dei tangebat. Anima verò interrogabat virginem, quur ſic cor dei tangeret. Quæ reſpondit. Ego ſum amor diuinus, & hic lapis, Adæ culpam deſignat. Et ſicut adamas abſq; ſanguine ſcindi non poteſt: ſic Adæ culpa ſine humilitate et ſanguine Chriſti diſſolui non poterat. Statim namq; vt Adam peccauit, ego me intro miſi, & culpam illam totam intercœpi, ſicq; dei cor inceſſanter tangendo, & ad pietatem mouen-

do, ipſum quieſcere non permiſi vſq; in momentũ, quo filium dei de corde patris in ſinum depoſui vir ginis matris. Deinde filium dei pannis inuolutum in præſepio reclinaui, exhinc in Ægiptũ deduxi. Poſt hoc, ad omnia, quæ pro homine fecit et ſuſtinuit, ipſum inclinaui, & tandem patibulo crucis eum affixi, vbi omnem dei patris iram mi tigaui: & hominem deo amoris fœdere indiſſolu bili copulaui. Et anima. Dic queſo, quid in omni bus, quæ pro nobis pertulit Chriſtus, ei maximè doluit? Amor reſpondit. Quod in cruce ita ex tenſus fuit: vt omnia mẽbra eius dinumerari poſ ſent. Quicunq; pro hoc dolore gratias illi egerit, ita gratum obſequium illi præſtabit: ac ſi omnia vulnera eius vnguẽto ſuauiſſimo deliniret. Si quis etiam ei pro ſiti, qua in cruce ſitiebat hominũ ſalu tem, gratias egerit: ac ſi eius ſitim refrigeraret, acceptabit. Qui verò gratias illi egerit, quod cla uis in cruce confixus pependit, tã gratum ei erit: ac ſi ipſum de cruce et omnibus pœnis ſolueret. Di xitq; iterum amor ad animam. Intra in gaudium domini tui. In hoc totaliter in deum rapta eſt, et ſicut aquæ ſtilla infuſa vino, tota mutatur in vi num: ita hæc beata in deum tranſiens, vnus cum illo ſpiritus eſt effecta. In hac vnione anima in ſe adnichilabatur, ſed deus eam confortans: aiebat

illi. Omnia quæcunq; homo capere poteſt: tibi infundam. Et in quantum homini poſſibile eſt: dona mea in te multiplicabo. Et ait amor. Hic quieſce, pauſans in corde dilectoris tui: ne vnquã inquieteris in proſperis. Hic quieſce in rememoratione beneficiorũ dei: ne unquã inquieteris ĩ aduerſis.

Qualiter vocata fuit per deum, & de pſalterio decẽ cordarũ. Cap. XVIII.

Alia vice dulciſſimè vocata ad dominum Ieſum, vidit quod amor in ſpecie virginis pul-
Eccle. 24. cherrimæ conſiſtorium circuibat decantans. Gyrum cœli circuiui ſola: & in fluctibus maris ambulaui. In quibus verbis agnouit qualiter ſolus amor diuinæ maieſtatis omnipotentiam ſibi ſubegit, eiuſq; inſcrutabilem ſapientiam quaſi infatuauit, & dulciſſimam bonitatem eius totã effudit, ac illum diuinæ iuſtitiæ rigorem omnino deuincẽs, & in manſuetudinem conuertens: ad noſtræ miſeriæ exilium, dominum maieſtatis inclinauit. In hoc quoq; verbo. Et ĩ fluctibus maris ambulaui, ĩtellexit, qualiter omnes, qui ante legẽ, et ſub lege, et ſub gratia in ſuis tribulationibus deo per amorẽ fideliter adhæſerũt: cuncta aduerſantia et vitia per amorem vicerunt. Dehinc iterum amor decã-
Apoc. 4 tabat. Audit in giro ſedis. Per quod intellexit,

qualiter modò ſancti in iubilo decantant omnia, quæ in eis dominus fecit magnalia, ſcilicet quàm inueſtigabili eos ſapientia elegit, quàm gratuitò eos iuſtificauit, & ſua gratia dignos effecit, quã potenti ac forti amore de omni miſeria liberauit, & omnia non ſolum bona, ſed etiam mala eis in bonum & ſalutem conuertit, quam laudem deus tã gratiſſimè à ſanctis acceptat, ac ſi nõ ab eo, ſed à ſe ipſis hæc tanta bona haberent: et tamen illi ſoli gloriam deferrẽt. Deinde viſum eſt ei, quaſi amor ſtaret à dextris dei, de cuius corde protendebat quoddam inſtrumentum ſuauiſſimum tendens ad cor illius uirginis, ſcilicet pſalterium habens decẽ chordas: ſicut in pſalmo dicitur. In pſalterio de Pſ. 143.
cem chordarum pſalam tibi. Per nouem chordas deſignabantur nouem chori angelorum, in quibus ordinatus eſt populus ſanctorum. Per decimã verò chordam: ipſe dominus Ieſus Chriſtus rex angelorum: et ſanctificator omnium ſanctorũ. Tunc anima procidit ante dominum, et primã chordam leniter tangens: laudabat deum, dicens. Te deũ patrem ingenitum. In ſecunda, te filium vnigenitum. In tertia, te ſpiritum paracletum. In quarta, ſanctam & indiuiduam trinitatem. In quinta, toto corde & ore confitemur. In ſexta, laudamus. In ſeptima, atq; benedicimus. In octa-

ua, tibi gloria. In nona, in ſecula. In decima, cantare non potuit: quia ad dei celſitudinem adhuc pertingere non valebat. Exhinc deſyderabat quod omnes in cœlo & in terra participes diuinæ gratiæ efficerentur. Et accipiens manum domini, adeò magnam crucem fecit: vt videretur ſibi, cœlum & terram inde repleri. Et ex hoc gaudium cœleſtium augumentabatur, reis venia, triſtibus ſolamen, iuſtis fortitudo et perſeuerãtia dabatur, purgandisq; animabus abſolutio, ac pœnarum alleuiatio reddebatur.

Quod deus animam ſanctis virtutibus adornat. Cap. XIX.

QVadam die dum legeretur pſalmus. Laudate dominũ de cœlis. In illo verbo: & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen domini. Dixit ad dominum, O domine, quæ ſunt aquæ illæ, de quibus hic canitur? Reſpondit. Omnes lachrymæ ſanctorum, quas vnquã ex amore, ſiue deuotione ſiue compaſſione, ſeu contritione effuderũt. Et ſtatim vidit aquam lympidiſſimam deſignantem lacrymas ſanctorum, cuius fundus erat ex auro puriſſimo, habens pro arena margaritas et gemmas precioſas, deſignantes diuerſas ſanctorũ virtutes, in quibus ſe in terris exercuerant ſcilicet in

orationibus, vigilijs, ieiunijs, & alijs operibus virtuoſis. Eratq; in ipſa aqua multitudo piſsium ludentium & ſe agitantium. Per quos ſignificabantur deſyderia, quæ animam ad deum agitant, & ſuſpiria & planctus, quibus anima deum ad ſe allicit. Sancti enim in cœlo virtutes ſuas, & quælibet bona opera ſua in deo contemplantur, ad augmentum gaudiorum, & delectamentum cordis eorum, licet virtutibus ſuis quilibet in ſe ipſo decoretur. Poſt hæc domino cõqueſta eſt, quod diem deſponſationis ſuæ tam deuotè non celebraſſet, nec in tanta fidelitate ſibi adhæſiſſet: vt ſponſam ſponſo vnico decuiſſet. Tunc dominus Ieſus induit eam veſte virtutum ſuarum perfectiſsimarum, imponens capiti eius diadema aureum, ſtrinxitq; eam amplexibus charitatis: & brachio nudo circundedit ipſam. Et quùm anima de hoc miraretur: dixit ei dominus. Quia inter me & te nulla eſt omnino obſcuritas: et omnium myſteriorũ meorum te nihil cælabo. Vidit etiã millia millium angelorum cum reuerentia aſtantium ante regem ſuum: & ait dominus ad animam. Ecce hos omnes tibi do: ut tibi famulentur. At illa deſyderabat, vt omne miniſterium, quod ſibi impenderent: ad laudem & gloriam ſui unici amatoris exhiberẽt. Et ſtatim vidit de ſingulis angelorum cordibus

tubas procedere ad cor dei, & tam dulce canti-
cum perſonare: vt nullus valeat enarrare. Poſt
hæc cor Chriſti aperiebat ſe, & ipſe intraxit eã,
concludens illam in ſe ipſo; & dixit ei. Superior
pars cordis mei erit tibi ſuauitas diuini ſpiritus,
quæ iugiter in animã tuam ſtillabit, ad quam anhe
lanti deſyderio oculos tuos eleues, & os aperias,
attrahendo diuinæ gratiæ dulcedinem: ſicut dici
Pſ. 118. tur in pſalmo. Os meum aperui: & attraxi ſpiri
tum. In inferiori parte inuenies theſaurum omniũ
bonorum, & deſyderabilium copiã ſuper affluen
tem. In parte orientali reperies lumen ueræ cogni
tionis, ad intelligendam & perficiendam omnem
meã voluntatem. In auſtrali parte videbis para
dyſum æternarum deliciarum: & ibi ſemper me
cum eris in menſa. Et ſtatim vidit menſam poſi-
tam: et mantile candidiſsimum ſuper poſitũ. Per
menſam: ſignificabatur largitas. Per mantile: pie
tas. Ad hanc menſam dominus ſedebat, & ani
ma cum lætitia miniſtrabat; & multa fercula ſci
licet diuerſa dei dona ipſi proponebat. Quoties. n.
gratiarũ actiones diuinæ retulit largitati pro ſin-
gulis donis & innumeris beneficijs ſuis: toties ei
fercula apponebat. Dixitq; ad dominum. Quid
dilecte mi tibi propino, quum pro amicis tuis oro?
Qui reſpondit. Vinum mihi propinas nobiliſsimũ:

quod lætificat cor meum. Et anima. Quid tibi propino, quùm pro peccatoribus oro? Reſpondit: Merum mihi propinas dulciſſimum, ſuperans mel & fauum, quùm pro meis oras inimicis, qui ſunt in ſtatu damnationis: vt ad me conuertantur. Et anima. Quid tibi propino, quùm pro animabus oro? Reſpondit. Vinũ, quod etiam iucundum facit cor meum, quùm oras pro ijs, qui in mea ſunt beneuolentia: vt citiùs à pœnis eruantur. Tunc ait anima. O amantiſſime, quàm feruenti deſyderio nunc cor meum tibi offerre cupio. Qui ſtatim accipiens cor eius in manus ſuas, odoratus eſt illud tanquam roſam ſuauiter redolentem. Cui anima. Quid fragrantiæ percipis in eo, in quo nihil eſt boni? Et dominus. Quùm ego ſum in anima tua: mei ipſius ſuauitas redolet in te. Poſt hoc dixit ad illã. In occidentali parte cordis mei, eſt longitudo dierum, pax æterna; & gaudium ſine fine manſurum. In parte aquilonis, recipies ſecuritatẽ æternam contra omnes aduerſarios tuos, ita quod nullus aduerſum te amplius præualebit.

Quòd cor domini in ſimilitudine lampadis viſum eſt. Cap. XX.

IN miſſa quadam, dum cogitationibus diuerſis impedientibus, fruitione diuina fruſtrare-

tur, mediatricem dei & hominum virginem Mariam exorabat, vt præſentiam dilecti filij ſui ſibi obtineret, cuius interuentu (vt credidit) conſpexit regem gloriæ dominum Ieſum, in ſolio ſublimato, ac cryſtallino puritate perſpicuo reſidentē. Ex cuius ſolij anterioribus partibus, duo riuuli eximiæ puritatis aſpectu delectabiles progrediebantur, quos intellexit eſſe gratiā remiſsionis peccatorum, ac ſpiritualis conſolationis, quæ in miſſa quilibet ex virtute diuinæ præſentiæ ſpecialius ac facilius largiuntur. Circa oblationem uerò hoſtiæ benedictæ, exurgens dominus à ſolio illo, videbatur cor ſuum ſanctiſsimum ad inſtar lāpadis perlucidæ, pleniſsimæ, & ſuperabundantis, proprijs manibus eleuare. Quæ lampas ex omni parte circumquaq; tanto impetu ſupereffluebat: quod magnæ guttæ ex ipſa ſuper effluxione reſiliebant, nec tamen lāpadis plenitudo aliquatenus minui videbatur. Per quod dabatur intelligi, quod quamuis de plenitudine cordis Chriſti omnibus ſufficientiſsimè gratia miniſtretur, ſecundùm cuiuslibet capacitatem: tamen in ſeipſo abundantiſsimè redundat omni beatitudine, nec aliqua vnquam parte patitur detrimentum. Vidit inſuper corda omnium præſentium quaſi funiculis quibusdam in ſpecie lampadum cordi dominico annexa, quorum

quædam erecta, & quaſi oleo plena videbantur ardere: quædam verò quaſi vacua dependebant è conuerſo. Vnde intellexit per lampades ardentes & erectas, illorum corda deſignari: qui cum deuotione & deſyderio miſſæ intereſſent. Per lampades verò dependentes: eorum corda, qui negligebant per deuotionem eleuari. Tunc illa magno exoptabat deſyderio, vt cor ſuum diuino cordi totaliter infunderetur. Et ſtatim cognouit illud quaſi de medio aliorum eleuari: & in ſimilitudine piſcis, immergi cordi diuino. Poſt hæc mutatum vidit cor diuinum in domum pulcherrimam, in qua quatuor virgines pulcherrimas aſpexit, ideſt quatuor virtutes, ſcilicet humilitatem, patientiam, manſuetudinem, & charitatem, quæ in viridi ueſtitu (ſicut ſæpius) apparebant. Quod dum miraretur: dixit ei dominus. Quia charitas multos aridos truncos ideſt peccatores virtute ſua facit vireſcere, & ad fructum bonorum operum refloreſcere: ideo in viridi iuſtiſſimè demonſtratur. Et adiecit dominus. Harum uirginum familiaritatibus te aptare ſtudeas, & amicitias habeas: ſi deſyderas in hac domo mecum manere, & præſentiæ meæ fruitionẽ habere. Verbi gratia. Quùm vanitas cor tuum diſſoluit, recole virtutem illius charitatis, quæ me de accubitu ſinus paterni ĩ vte

ro virginali collocauit, & vilibus pannis inuolutum in præſepio reclinauit, multos labores in prædicando perferre coegit; & proſtremò amariſſima & turpiſſima morte interemit. Talium recordatio omnem vanitatem à corde tuo penitus exſufflabit. Similiter quùm ſuperbia te infeſtat, memorare humilitatis meæ, qui nunquã vel in minimo cogitatu, verbo, ſeu aliquo opere ſuperbiui, ſed exemplum perfectiſſimæ humilitatis in omnibus factis meis exhibui: & ſic vincas ſuperbiam humilitate. Quùm verò impatientia moleſtaris, memento patientiæ meæ, quam habui in paupertate, in fame, & ſiti, in diſcurrendo, in iniurijs et contumilijs, & maximè in morte. Et quùm ira conturbaris, recordare manſuetudinis meæ, quia cũ
Pſ. 119. ijs, qui oderunt pacem, eram pacificus, & manſuetus, in tantum quod etiam ipſis crucifixoribus meis, qui quùm tot crudelitatis genera in me exercuiſſent, quòd nihil ſuper addere amplius poſſent, adhuc præ nimio furore ſtridebant ſuper me dentibus, cum tanta cordis dulcedine veniam impetrans, patrem eis placaui: ac ſi nunquã contrarij mihi extitiſſent. Et ſic poteris cuncta vitia virtutibus ſuperare. Poſt hoc, quùm ſemel congregatio cuidã funeri proceſſionaliter obuiaret, hæc dei ancilla videns campi planiciem, multum ſibi

complacuit: & dixit ad dominum. Mi domine, quid in hoc deliqui, quod me circũſpiciendo, ſic in ſpacioſitate campi delectabar? Reſpondit dominus. Contra obedientiam feciſti, & mihi non intendiſti: inſuper pro anima defuncti orare neglexiſti. Et illa. Doce me amantiſsime Ieſu, qualiter de cætero (ſi contigerit exire) faciamus. Reſpondit. Dum primò à choro exitis, legite illũ verſiculum. Deduc me domine in via tua, & ingredìar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum, ſicq; in timore meo exeatis, accipientes me in ſocium itineris, quaſi baculum unde ſuſtentemini, & ſic egredientes, domos, & ipſam viam, omniaq; vobis occurrentia cum dextera mea benedicatis: eruntq; ex hoc benedicta. Quùm enim homo uanam habuerit lætitiam: ſemper cor eius poſtmodùm aggrauatur. Qui verò timorẽ meum habuerit, non contriſtabitur: ſed veram lætitiam obtinebit. Dehinc quùm funeri appropinquatis, recolere poteſtis proceſsionem illam, qua in die iudicij, omnes reſurgendo cum corporibus ſuis mihi occurrent, egoq; cum ineffabili gloria & maieſtate, ſtipatus omnium angelorum et ſanctorum multitudine, illis obuiabo. Orabitis etiã pro anima defuncti, vt ſi in pœnis eſt: citius abſoluatur, aut ſi impedimento aliquo à me amo- Pſ. 85.

ueatur: ab hoc liberetur, & mihi, ſanctiſq; meis citius coniungatur, fiatq; dignus glorificationis futuræ, vt cum lætitia & gloria in die illa tremẽda mihi præſentetur.

De multiplici pœna eius. Cap. XXI.

SEcundum multitudinem conſolationis & dulcedinis dei in anima diligentis ſe, etiam dolores et infirmitates ipſius multiplicat: ſicut in hac fideli anima ſæpius exprimitur. Nam vice quadam amplius quã per menſem grauiſſima capitis infirmitate laborabat, ex qua nec ſomnum capere, nec aliam requiem habere poterat. Inſuper omnẽ gratiam & dulcedinem aſſuetam, deiq; viſitationem amiſerat, ita, vt flebiliter ſæpe querularetur, quod nec dulcem de deo habere poſſet cogitationem, ac per hoc in tantam deuenit triſtitiam: ut quandoq; miſerabiliter poſt deum amatorem ſuum ſic clamaret; quod per totã domum ſonus audiretur. Sed quùm in hac deſolatione pluſq; ſeptẽ dies manſiſſet, benigniſsimus dominus, qui ſem-
Pſ. 33. per iuxta eſt ijs, qui tribulato ſunt corde, tam affluenti conſolatione & dulcedine ipſam perfudit, vt ſæpe à matutinis vſq; ad primam, & à prima vſq; ad nonam, clauſis oculis velut mortua, in dei fruitione iaceret. In quo ſpacio pijſsimus dominus

mira ſecretorum ſuorum illi reuelabat, ac dulcedi ne ſuæ præſentiæ eam in tantum lætiſicabat: vt ue lut ebria, vlterius ſe continere non ualens, internam illam gratiam, quam antè, tot annos celaue rat: cunctis ad ſe uenientibus etiam hoſpitibus et alienis effunderet. Vnde plurimi legationem ſuã ad deum ipſi cõmittebat. Quibus ſingulis, prout ſibi dominus dignabatur oſtendere: deſyderia cor dis eorum intimabat, ac per hoc plurimum lætificati; deo gratias reddebant. Vnde anima eius in diuinitate habitabat, ſicut piſcis in aqua: et auis in aere. Superuenit autem (vt ſibi videbatur) ſanctus Petrus admirans valde, quod dominus maieſtatis tanta dignatione ſe animæ inclinaret. Cui dominus reſpondit. Quid miraris Petre? Ne ſcis, quia primi, & vltimi filij ſunt chariſſimi? Vos diſcipuli primogeniti mei fuiſtis, quibus omnẽ beneuolentiam meã exhibui, & omne, quod voluiſtis, ſecundum deſyderia veſtra in me habuiſtis. Poſt hæc, orans pro congregatione, audiuit ſonum dulciſſimũ in firmamento cœli reſonare ex ſonitu diſciplinarum, quas illa hora ſorores pro cõ muni ſalute receperunt. Ad cuius ſonitus clango rẽ, ſancti angeli plaudentes ſaltabant, dæmones animas cruciãtes, procul fugiebãt, animæ laxabã tur à pœnis: et cathenæ reatus earũ rumpebãtur.

Qualiter in vulneribus Chriſti pauſauit. Cap. XXII.

ALia quoq; nocte, dum ex capitis dolore nullam poſſit habere requiem, orabat dominum, ut ſaltem vnũ foramen ſibi monſtraret: in quo requiem inueniret. Qui oſtendit ei quatuor foramina vulnerum ſuorum, præcipiens eam eligere: in quo illorum vellet habitare. At illa nolens eligere, diuinæ commiſit pietati: ut ſibi daret, quod ipſe vellet. Tunc oſtendit ei vulnus cordis ſui dulciſſimi: dicens. Huc intra: ut pauſes. Quæ ſtatim cum gaudio intrauit cor dei. Et viſum eſt ei, tot ceruicalia ſericea ſe habere: quot ictus dolorum tunc ſenſit capiti ſuo aduenire. Et ait dominus. Bombices ſericum nent: et de me ſcriptum eſt. Ego
Pſ. 21. *ſum vermis, & non homo. Huc uſq; in laboribus mihi deuotè ſeruiuiſti, àmodo in virtutũ exercitijs, exemplo meo perlatis, mihi ſeruire ſtudebis, & quæ tibi fuerint importabilia: ego ea tecum feram.*

Quomodo omnibus ſanctis de fonte miſericordiæ propinauit. Cap. XXIII.

ALia iterum nocte, requiſiuit dominum: quo in loco diſponeret pernoctare. Qui reſpondit.

Ad radicem montis huius deſerti. Et vidit ibi fontem miſericordiæ, et in eo ſcutellam argenteã. Et ait dominus. Hunc fontem omnibus ſanctis et ſingulis propina, ſecundum beneplacitum tuæ uoluntatis. Ad quem illa. Obſecro mi dominé, tu uicem meam ſupple, quia minus idonea ſum ad hoc opus: quùm ſim debilis & infirma. Tunc ſancti angeli vice eius accedentes, ex fonte illo propinabãt, primò glorioſæ virgini Mariæ, in augmentũ totius beatitudinis ſuæ, quæ dũ biberet, ſingulæ guttæ tam miræ ſuauitatis intra guttur eius dabant reſonantiam: quod omnes illius beatæ Ierusalẽ ciues noua exultatione iubilabãt. Deinde propinabant patriarchis, prophetis, apoſtolis, martyribus, confeſſoribus, virginibus, viduis, coniugatis & omnibus cœli ciuibus, qui omnes ſimili modo ex eo bibebant, et ſingulæ guttulæ in dei laudem ſuauiſſimum ſonum reſonabãt. Dehinc ex prædicto fonte militanti eccleſiæ etiam propinabãt. Et primò Dominis apoſtolicis, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, et quibuscũq; religioſis. Poſt hos, Imperatori, Regibus & principibus, et poſtremò omnibus in terra viuentibus, et ſimiliter animabus purgandis. Omnes quidem ex eo bibebant, ſed non omnes ſonoritatem & ſuauitatem ſentiebant: quam triumphans habebat eccle

ſia. Sequenti nocte iterum in ſpiritu ad præfatum miſericordiæ fontem reducta. Vidit ex eodem fō te q; maximam venam humilis gratitudinis ebul lire, et ipſam venam per cor Ieſu Chriſti puriſſi mè in eundem fontem refluere. Quod ſanè ita intel ligendum eſt. Quoniam varia ſunt dona dei, & non omnes homines eandem habent gratiam: quia
1 Cor. 12. diuiſiones donorū ſunt, vnuſquiſq; dono ſibi à deo collato ſollicitè intēdat: & cum gratitudine in de um refundat, æſtimans ſe omni bono, etiam ipſa vita indignum. Et in abiectione ſui ſemper dicat.
Gen. 32. Minor ſum domine cunctis miſerationibus tuis, nec quicq; boni ſibi amplius deſyderet: niſi quantum ad dei laudem, & omnia, quæ ſibi euenerint ſiue læta ſiue triſtia, ex nimia charitate à deo ſibi eſſe donata: certiſſimè ſciat. Et ſic cum gratiarū actione, in vnione gratitudinis Ieſu Chriſti, qua ſi per cor eius in ſuam originem omnia dei dona re fundat: ſicut hæc Chriſti ancilla fecit. Vnde pro eo ſæpius caput dolebat, quia ſtatim ut ſentiebat ſe aliquid præualere ī ſpirituali exercitatione, tantū laborabat: quod eam corpore deficere oportebat.

De amplexu domini. Cap. XXIIII.

ALtera vice quum deo in infirmitate quereretur, quod chorum intrare, & alia bona ope-

ra facere non poſſet: viſum eſt ei quaſi dominus ſe in lectulum iuxta eam reclinaret, ſiniſtro ipſam brachio amplectens ita, ut vulnus cordis eius dulciſsimi ſuo cordi iungeretur. Et ait illi. Quùm infirmaris: ſiniſtra te complector, et quùm ſana es: dextera te amplector. Sed hoc ſcias, quod quùm ſiniſtra mea complecteris: multo vicinius tibi cor meum ſociatur.

Qualiter Chriſtus ardorem ſuum in anima refrigerat. Cap. XXV.

ITem vice quadã, dum contriſtata ingemiſceret, eo quod ſibi videbatùr inutilis, quia infirmitate præpedita ordinem tenere non valebàt: audiuit dominum ſibi dicentem. Eya faue mihi, vt ardorẽ diuini cordis mei in te refrigerem. In hoc verbo intellexit, quod qui dolores, & infirmitates, cordis triſtitiam, deiectionem, ſiue quãcunq; tribulationẽ in vnione amoris, quo Chriſtus in terris afflictiones & grauamina multa, & tandem ignominioſam pertulit mortem, libens & volens ſuſtinuerit: in eius anima quodãmodo ardorẽ diuini cordis ſui Chriſtus temperabit, qui tam inæſtimabili deſyderio, hominis quærit ſalutẽ. Quia quùm in ſe tales paſsiones amplius ferre nõ poſsit, in ſuis delectoribus, qui ei fideli amore adhærent:

Coloſ. 1 *ſupplere dignatur. Et ſicut eius paßio toti profuit mundo, non ſolùm ſui temporis hominibus, ſed vſq; in finem ſeculi in eum credituris: ſic diligentiū Chriſtum paſsiones & tribulationes iuſtis cædēt in augmentum bonorum, reis ad veniam, defunctis ad gaudium ſempiternum. Et quùm anima illa, quæ hic ī terris diuini cordis refrigeratio fuit, in cœlum peruenerit: mox ſupra cor dei aduolās, diuinitate velut oleo optimi liquoris peruncta: tota in ardore ferventiſsimi cordis dei, cum omni, quod pro Chriſto ſuſtinuit; concremabitur. Et ſicut thymiama fragrantiſsimū ſiue balſamum, odoris ſui ſuauitate totū cœlum reſperget, quo omnes ſancti noua iucunditate & delectatione perfun-*

Pſ. 44. *dentur. Et hoc eſt quod dicitur in pſalmo. Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ cōſortibus tuis.*

Quod Chriſtus ad gemitum pauperis ſurgit. Cap. XXVI.

D*Ie quadam, dum Conuentus cōmunicaret, et hæc Chriſti ancilla in lecto iacens infirma, in paupertate ſpiritus ad dominum intimo corde ingemiſceret: vidit dominum de throno feſtinè ſur-*

Pſ. 11. *gentem, & dicentem. Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam. Surgente autem eo, omnes ſancti pariter ſurrexerunt,*

offerentes deo in conſolationem illius animæ, omne ſeruitium, quod ei in terris exibuerant, & quæ paßi fuerant: in laudem æternam. Inſuper dominus Ieſus etiã omnia ſua deo patri obtulit: dicens. Ponam in ſalutari ideſt in me ipſo et per me ipſum deſyderia eius complebo. Sicq; laudes condignas deo patri pro ea perſoluit. Intellexitq; diuinitus, quod quoties anima in paupertate ſpiritus ad deũ ingemiſcit, deſyderans eum laudare, ſiue gratiã habere: ſtatim omnes ſancti ſurgunt, deum pro anima inſimul laudantes: ac gratiam ei impetrantes. Si verò pro peccatis dolens ingemiſcit: veniam implorant. Nec in hoc Chriſto ſufficit, ſed per ſe ipſum ſurgens: dicit. Ponã in ſalutari ideſt per me ipſum eius deſyderio ſatisfaciam, offerens deo patri pro anima illa laudes, vel quicquid deſyderat: pro ea ſupplès. Poſt hæc ait dominus. Si vnus gemitus ita excellenter eſt acceptatus, quomodo iam vlla triſtitia in anima pauperis remanebit? Alia vice, quùm etiam dominum deſyderans, ad ipſum ingemiſceret: dixit ei dominus. Quotieſcũq; poſt me ingemiſcis: me tibi intrahis. Omnibus.n. rebus me comuniorem feci Nulla enim res tã parua, & tam vilis eſt, (vt filum, aut feſtuca) quæ voluntate tantùm acquiri poßit, me verò homo ſola voluntate, aut vno gemitu habere poteſt.

Qualiter homo pœnas ſuas deo committat. Cap. XXVII.

ALia vice quùm propter infirmitatem ſuam ſe inutiles reputaret, & pœnas ſuas infructuoſas iudicaret: dixit ei dominus. Singulas pœnas tuas amori cōſigna: dicens. O amor ea intētione, qua hæc de corde dei mihi attuliſti tibi cōmitto, orans, vt ea in ſumma gratitudine ibidem reconſignes. Quùm etiam laudare me deſyderas in pœnis tuis, nec præuales, ora, ut ea laude, qua in cruce deū patrem in pœnis meis laudaui, et ea gratitudine, qua ipſi gratias egi quia me voluit pro mundi ſalute talia pati, et in amore, quo pœnas libens & volens ſuſtinui: ipſum pro pœnis tuis collaudem & benedicam. Et ſicut paſſio mea in cœlo & in terra infinitum attulit fructum, ſic pœnæ tuæ, ſiue quæcunq; tribulatio hoc modo mihi commiſſa, in vnione paſſionis meæ tam ſalutifera erit: vt ſingulis in cœlo gloriam, iuſtis meritum, peccatoribus veniam, et purgandis animabus conferat releuamen. Quid enim eſt, quod diuinum cor meum non poſſit in melius commutare? Nam omne bonū, quod cœlum & terra continet, de bonitate cordis mei profluxit. Oſtenditq; ei omnium ordines ſanctorum, & inæſtimabilem gloriam, ac dignitatem eorum: dicens. Ecce quantum bonitas cordis

mei

mei in prophetis, apoſtolis, & ſingulis ſanctis operata eſt: quæ digniſſimè ſuper omne meritum eos remunerauit. Vidit etiam virgines, in quarum decore & delicijs præ cæteris ſibi complacens: dixit ad dominum. Eya mi domine, quùm tantum honoris gratuito amore virginibus cōtuleris, dic quæſo. quod ſit maximum gaudium tuum in eis? Reſpondit. Deus pater meus tantum diligit quālibet virginem, et eius aduentum maiori expectat gaudio, q; vnquam rex aliquis ſui unici ſponſam: ex qua magnum ſe habiturum ſperat hæredem. Statim etiam ut ĩ cœlo vox illa ſonuerit, quod virgo adueniat: tota cœli dignitas in gaudio commouetur, et quùm ipſa virgo primò ingreditur, eius veſtigia per totum cœlum harmoniam reddūt dulciſſimam, vnde omnes ſancti permoti lætitia, in eius laudes cū iubilo proclamantes: dicunt. Quàm pulchri ſunt greſſus tui ĩ calceamentis filia principis, ego quoq; aſſurgens, ei obuiam procedo: his eam aduocans verbis. Veni amica mea, veni ſpōſa mea: veni coronaberis. Cant. 7 Cant. 4

Quæ ſint veræ & puræ virgines. Cap. XXVIII.

ALia quoq; vice quùm deo pro impenſis ſibi bonis gratias ageret: dixit ei dominus. Gra

tias age prius pro omnibus quæ feci matri meæ, & angelis. Quod illa ſtatim fecit, gratias agens quod eam ad æterno præ cunctis elegit, & ſibi matrem digniſsimam præparauit, ſanctificans eā in vtero matris. Et quod in infantia & pueritia ſic eam gubernauit: quod nūq; peccatum admiſit. et quod ſpiritu ſancto inſpirata, prima votum vouit puriſsimæ caſtitatis. Tūc dixit dominus. Nullam creaturā neq; in cœlo neq; in terra ſic diligo: ſicut puritatem virginalem. Ad quod illa. Eya domine, quæ ſunt tam puræ virgines, quas præ cunctis ita diligis? Reſpondit. Illæ, quæ nec deſyderio, nec voluntate amittendi virginitatem unquam ſe maculauerunt. Et illa. Quid facient, quæ hæc neglexerunt? Reſpondit. Pœnitentia & confeſsione ſe abluant, & in magna delectatione cum puris uirginibus ſocietatē habebunt. Nulla.n. virtus eſt meritoria; niſi exercitio cordis nobilitetur.

Qualiter deus in anima operatur. Cap. XXIX.

QVadam vice quùm in infirmitate ſua communicaſſet: dixit ad dominum. Heu me dilectiſsme deus meus, qualiter te modò in animam meam vocaui, quæ nec orationes, nec aliquid boni præmiſi? Cui dominus. Pater meus operatur in

te ſua potentia tale opus: ad quod tuis viribus non ſufficis. Egoq; in diuina ſapientia mea operor in te opus: quod tuos ſenſus excedit. Spiritus ſanctus quoq; ĩmenſa bonitate ſua operatur in te opus: cuius guſtũ nondum ſentis. Item audiuit, quod quùm homo ſe minus ſentit in oratione deuotum, amore frigidum, & à deo elongatum: inuocet amorem, cõmittens ei legationem ſuam, orans, vt gratiã, ſiue deuotionis ſtudium ei dignetur impetrare. Similiter omnia bona, quæ agit, tradat amori cuſtodienda: vt ea poſtmodum in melius cõmutata recipiat. In omni quoq; tribulatione et dolore, amorem in auxilium ſuum inuitet, quia eo præſente, homo laborem non ſentiet; nec deficiet in aduerſis. Poſt hoc audiuit ab angelis hanc vocem. Obliuiſcere populum tuum, & domũ patris tui. In verbis iſtis intellexit, quod quùm deus animam per intimam contemplationẽ dignatur eleuare: ſe ipſam & omnia peccata, & opera ſua debet obliuioni tradere, quatenus expeditius deo vacans, ijs quæ ei reuelantur: lympidius valeat inhærere. Pſ. 44.

Qualiter deus ſenſus ſuos animæ donauit. Cap. XXX.

ORabat aliquãdo dominum, vt ei aliquid donaret: quod ſui memoriam in ea iugiter excita

ret. Cui dominus reſpondit. Ecce do tibi oculos meos: vt cum ipſis omnia videas. Aures meas: vt per eas omnia, quæ audis: intelligas. Os etiam meum: ut quæ loquendo, orando, ſiue cantãdo proferre debes: per illud facias. Do quoq; tibi cor meum, vt per illud omnia cogites, & me ipſum: & omnia propter me diligas. Et quanto amplius te ab omni creatura elongando, earum conſolationẽ abieceris: tanto magis ad maieſtatis meæ inacceſſibilem celſitudinem eleuaberis. Quanto etiam ad creaturas per charitatẽ extendèris, dilatando te per compaſſionem & miſericordiam ad omnes: tãto arctius ei dulcius ĩ compræhenſibilẽ latitudinem meam circumcinges. Quanto deniq; teipſam vilipendẽdo, infra omnẽ creaturam humiliaueris: eo profundius mihi ĩmergèris; eoq́; dulcius, ac familiarius de torrente meæ diuinæ voluptatis inebriaberis.

Spiritualis gratiæ ſecundi libri
FINIS.

INCIPIT LIBER TERTIVS GRATIAE SPIRITVALIS.

De anulo ſeptem lapidibus inſignito. Cap. I.

VIRGO Chriſti quùm præſentiã dilecti ſui die quadam non ſentiret, & multum deſyderaret: videbatur ſibi, quaſi dominus ſtaret coram illa, & multa ad inuicem colloquebantur. Dum aute cantaretur ad miſſam. Et tibi reddetur votum in Ieruſalem, cogitabat, quanta vota ſancti obtuliſſent domino in hoc ſæculo, Beatiſsima virgo, & aliæ virgines caſtitatem, Martyres proprium ſanguinem, & alij ſancti multos labores & deuotionis obſequia, & dolebat ſe nihil habere: quod domino poſſet offerre. Et vidit beatiſsimam virginem ſibi à dexris ſtare, donareq; ei anulum aureum, quem ſtatim domino obtulit, & dominus gratanter accipiens: digito ſuo impoſuit. Tunc intra ſe deſyderans, dicebat. O ſi fieri poſſet, vt ipſe anulum ſuum tibi daret in ſignum deſponſationis. Et videbatur ſibi ſufficere, ſi dominus dignaretur ei dare dolorem in digito anulari, quem omnibus diebus vitæ ſuæ vellet ſuſtinere in memoriam: quod Pſ. 37.

Chriſto eſſet deſponſata. Cui dominus. Do tibi anulum ſeptem lapidibus inſignitum, quos potes rememorari in ſeptem articulis digiti tui. In primo articulo potes recordari amoris diuini, qui me de ſinu patris inclinans, triginta tribus ãnis multis laboribus, te quærendo, fecit ſeruire. Et quùm tẽpus inſtaret nuptiarum, proprio amore cordis mei venditus in precium conuiuij: me ipſum in panem, & carnem, ac poculum dedi. In conuiuio etiam illo ipſe cithara & organum fui per dulcia verba oris mei. Et ad lætificandos cõuiuas ĩ ſimilitudinẽ luſorum, humiliatus ſum ante pedes diſcipulorũ. In ſecundo recorderis, qualem ego ſpecioſus iuuenis poſt conuiuium illud, choream duxi, quùm tribus vicibus in terram procidens, quaſi tres ſaltus feci tam validos: quod ſudore totus madens, guttas ſanguineas profudi. In illa chorea omnes commilitones meos veſtiui triplicibus, quùm remiſſionem peccatorum, animarum ſanctificationem, & diuinam clarificationem eis impetraui. In tertio, memor eris amoris humilitatis meæ ad oſculũ ſponſæ: quùm traditor appropinquãs oſculatus eſt me, in quo oſculo cor meum tantum perſenſit amorem, quod ſi pœnituiſſet, animam eius in ſponſam per oſculum illud aſſumpſiſſem. Tunc enim omnes animas mihi copulaui: quas ab æterno in ſponſas præ

deſtinaui. In quarto recolas, qualia aures meæ ex amore ſponſæ audierunt epithalamia, quùm ſtans ante iudicem, tot falſa contra me prolata teſtimonia patienter audiui. In quinto recorderis, quam decenter me ob nimium tui amorem ornaui, quùm toties veſtimenta mea mutaui, alba, purpurea, coccinea, & ſerto roſeo ſcilicet ſpinea corona coronatus. In ſexto ſis memor, qualiter te ſim amplexatus, quando ad columnam fui ligatus, ibi pro te omnium inimicorum tuorum iacula in me aſſumpſi. In ſeptimo memor eris, qualiter thalamũ crucis ſum ingreſſus. Et ſicut ſponſi veſtes ſuas dant hiſtrionibus: ita veſtimenta mea dedi militibus: & corpus meum crucifixoribus. Deinde extendi brachia mea per duriſsimos clauos, in tuos ſuaues amplexus, cantans in thalamo amoris ſeptẽ cantilenas miræ ſuauitatis. Poſt hæc cor meum introeundum tibi aperui: quùm ſomnum amoris pro te moriens in crúce ſuſcepi.

De roſa, quæ de corde dei exibat. Cap. II.

IN miſſa quadam dixit ad dominum. O amantiſsime, doce me laudare te. Cui dominus. Reſpice cor meum. Et ecce roſa pulcherrima quinq; habens folia exibat de corde dei: totũ pectus eius

cooperiens. Et ait dominus. Lauda me in quinq; ſenſibus meis, qui ſignificantur per roſam hanc. Et intellexit, quod dominū laudare deberet. Primò, pro viſu amicabili, quo ſemper reſpicit hominem, quaſi pater vnicum filium, nunq́; indignans, ſed ſemper amicabilem habens intuitum, quaſi deſyderans: vt homo ſemper ad eum recurrat. Secundò, pro auditu, quo ſemper auris eius eſt attentiſsima & inclinata ita, quod ad minimum ſibilum, vel gemitum hominis plus delectatur, quã ad omnem cantum angelicum. Tertiò, pro olfactu quo ſemper habet quandam amatoriã delectationem erga hominem, qua excitat cor hominis ad delectandum in ſe, ſine qua nemo poteſt delectari in vero bono: niſi præueniatur à deo. Quartò, pro guſtu ſuauiſsimo, qui fit in miſſa, vbi ipſe cibus eſt animæ ſuauiſsimus, & in illo cibo, ita ſibi animam incorporat: quod anima per vnionem cum deo, fit cibus dei. Quintò, pro tactu amoroſo, quo eum amor in cruce amariſsimè tetigit, figens clauos in manibus & pedibus eius: & lanceam in dextro latere eius. Et ſicut tunc anima illi infixa erat per dolorē incomparabilem: ita nūc impreſſa remanet in manibus, & pedibus, et cordeeius dulciſsimo cum ineffabili amoris iubilo ita, quod nec ad momentum eius poterit obliuiſci.

Quòd tribus modis deus debet laudari. Cap. III.

ITem vidit dominum inenarrabili claritate circundatum, habentem in pectore folium ex argento perſpicuo, in cuius circuitu erant inæſtimabiliter decoratæ ſingulæ ſanctorũ paſſiones, quas pro domino pertulerant. Ibi enim in deo ſancti contemplantur omnia benefacta et dignitates eorum, quia nunq; adeò paruum pro eius amore fecerunt, aut pertulerunt cogitatione, verbo, aut opere: pro quo æternam mercedem non conſequantur: & ipſi ſine fine deum glorificant pro omnibus donis ſuis. Dixitq; ad dominum. O dulciſſime et amãtiſſime, in quo maximè tibi complacet, ut me exerceã? Qui reſpondit. In laude. Et illa. Eya doce me, quomodo dignè valeam laudare te. Tunc docuit eam dominus tres modos quaſi tres ictus: dicens. Primò, laudabis patris omnipotentiam, qua in filio & ſpiritu ſancto ſecundum velle ſuũm operatur, quam nullius creaturæ comprehendit capacitas neq; in cœlo, neq; in terra. Dehinc filij inſcrutabilem ſapientiam, quam plenè cum patre et ſpiritu ſancto cõmunicat ſecundum voluntatẽ ſuam: quã nulla creatura ad plenum cognoſcere poteſt. Dehinc ſpiritus ſancti benignitatem, quam cum patre & filio abundè communicat ſecundum

omnem voluntatem ſuam: quam etiam nulli creaturæ plenè participat. Secũdus modus, ſiue ictus eſt, quod me laudare debes pro omni gratia & dono, quod effluxit de abũdantia bonitatis meæ, in virgineam matrem meam, quæ omnibus gratijs, & donis abundantius erat repleta, quam vnq; aliqua creatura. Et etiam omni gratia omnibus ſanctis data, qui iã in præſentia meæ diuinitatis cum iucunditate aſtant: & me fontem omnium bonorum cũ iubilo intuentur. Tertius modus eſt, quod me laudare debes pro omni gratia & dono, quod effluit de me in omnes homines. In bonos, quos gratia mea ſanctifico et confirmo. In peccatores, quos ad pœnitentiam inuito, & cum miſericordia ad bonum expecto, et etiam in animas purgandorum, quas gratia mea quotidie à purgatorio abſoluo: & ad cœli gaudia perduco. Ad primum videbatur quod legere deberet. Tibi decus. Ad ſecundum. Te iurè laudant. Ad tertium, ex quo omnia. Poſt hæc ſecundum deſyderium animæ, ornamentum illud, quod erat in pectore dilectoris ſui Ieſu, diuiſit ſe: et anima intrauit in cor melliſluum Chriſti, ibiq; vnus ſpiritus cum dilecto effecta, guſtauit & vidit, quæ non licet hominibus loqui.

De tribus, quæ debet homo habere in mente. Cap. IIII.

ITem inſtructor eius omniū optimus magiſtrorum dixit ei. Tria te docebo, quæ quotidie meditando animo reuoluas: & multa inde tibi prouenient bona. Primò igitur recole in gratiarum actione, quanta tibi bona feci in creatione & redemptione, ſcilicet quod te ad imaginem & ſimilitudinem meam creaui, et propter te homo factus, poſt innumera, quæ ſuſtinui tormenta, amariſſimam pro tui amore ſubij mortem. Secundo, cum gratitudine recole, quanta tibi beneficia exhibui ab hora natiuitatis tuæ uſq; ad præſens tēpus, ſcilicet quod ſpeciali electione de mundo vocaui te, & ſæpiſſimè me animæ tuæ inclinaui, replens & inebrians eam dulcedine diuinæ gratiæ meæ, illuminãs cognitione, & inflammans dilectione, & quotidie in miſſa ad te venio, paratus omnia deſyderia tua & voluntates adimplere. Tertiò in gratiarum actione recole, quanta tibi in cœlo æternaliter daturus ſum, affluentiam ſcilicet omnium bonorum, quùm longè ſupra quā credere, aut æſtimare poteris, omnibus te bonis cumulabo. Et hoc tibi dico verè, quia multum complacet mihi, vt homines de me confidenter præſumant. Nam quiſquis mihi crediderit, quod poſt hanc vitam ſupra

meritum illi benefaciam, & proinde me laudans gratias egerit in hac vita, in tantũ mihi acceptum erit: quod quantumcunq; credere aut præſumere poteſt, tantum et in infinitum amplius ſupra omne meritum ſuum remunerabo. Quia impoßibile eſt, hominem non percipere ea, quæ credidit & ſperauit. Ideoq; vtile eſt homini, vt magna à me ſperando: bene mihi credat. Et anima. O dulciſsime, ſi ita tibi acceptum eſt, quod homines tibi bene credant, dic quæſo, quid credere debeam tuæ ineffabili bonitati. Reſpondit. Certa ſpe credere debes, quod te poſt mortem ſuſcipiam ſicut pater filium ſuum amantiſsimum, et quod nunq; aliquis pater tam fideliter cum vnico ſuo hæreditatem ſuam diuiſit, ſicut ego omnia bona mea; & me ipſum tibi cõmunicabo. Secundo, ſuſcipiam te ſicut amicus amicũ ſuum chariſsimum, & tantam tibi exhibebo amicitiam: quantã nullus ab amico ſuo potuit experiri. Nunq; enim tam fidelis amicus inuentus eſt, quin aliquando fecerit, aut facere poßit amico ſuo dolum. Ego autẽ, qui ſum ipſa fidelitas, nunq; fraudem facere poſſum amicis meis. Tertio, ſuſcipiam te ſicut ſponſus ſponſam ſibi dilectã, cũ tanta deliciarum affluentia, quod nunquã ſponſus aliquis tam dulciter ſponſam ſuam allexit. Et anima. Quid dabis (inquam) eis, qui

tibi de his crediderint? Reſpondit. Dabo eis gratificum cor, quo omnia bona mea cum gratitudine ſuſcipiant, daboq; illis cor amans, quo me fideliter diligant, inſuper dabo eis cor quo me ſemper in amore laudent more cœleſtium, qui me in amore laudantes: ſemper benedicunt.

De Confeßione laudis diuinæ. Cap. V.

NOcte quadam quùm ſe ad ſanctam cõmunionem in orationibus et meditationibus præpararet, vidit ſe ſtare in conſpectu domini, quem dum laudare vellet: dixit ad eam. Aſpice in me: lineamentis membrorum corporis mei me laudando. Lauda caput meum ideſt diuinitatem meam, 1 Cor. 11 ſicut ſcriptũ eſt. Caput Chriſti: deus. Lauda frontem meam ideſt imperturbabilem pacem & tranquillitatem meam. quia in fronte apparet: quùm homo mente turbatur. Lauda oculos meos ideſt diuinitatis meæ claritatm et prouidentiam, qua toti mundo prouideo. Lauda aures meas ideſt miſericordiam meam, quas toties precibus et miſerijs hominum inclino, quas etiam nec minimus gemitus, qui non audiatur, valet præterire. Per naſi mei rectitudinem, lauda iuſtitiæ meæ rigorem. Per nares meas: lauda delectabilitatis meæ amœnitatẽ,

quia nihil adeò redolet amanti animæ: ſicut ſuaui tas amoris mei. Per os meum: lauda ſapientiam meam: qua omnia bene & ſuauiter ordinaui. Per mentum meum, lauda humilitatem meam: qua de cœlo in vterum virginis me reclinaui. Per collum meum, lauda liberalitatem patientiæ meæ, qua tuli onus peccatorũ non ſolùm eorũ, qui tunc erãt: ſed omnium uſq; in finem ſeculi futurorum. Per humeros meos: lauda me quod crucem meam ipſe baiulaui. Per dorſum meum: lauda me pro acri dolore: quem ſuſtinui flagellatus. Per cor meum: lauda amorem & fidelitatem meam, quam hominibus in ſummo demonſtraui. Per manus et brachia mea, lauda me pro operibus & laboribus humanitatis meæ, quæ pro ſalute hominum aut pertuli aut peregi. Per latera mea: lauda me pro ineffabili dolore, quẽ habui in lateribus, qui unus fuit de præcipuis doloribus meis, quùm propter te diſtenſus fui in cruce. Per genua mea: lauda deuotionem orationis meæ. Per pedes meos: lauda deſyderia mea, in quibus omnibus diebus uitæ meæ pro ſalute hominum laboraui, et in ſiti cucurri. Siquis igitur confitetur libenter, timet autem quod non ſit bene confeſſus, (qui tamen in conſciẽtia ſua nihil inconfeſſum inuenit) hanc confeſſionẽ laudis deo faciat. Et in qua parte ſe deliquiſſe de-

præhenderit, hoc deo confiteatur, ita vt quùm diuinitatem laudibus extollit: ſe reum proteſtetur, quod deum in condigna reuerentia non habuit: & quod in ſe imaginem dei toties maculauit, memoriam ſuam terrenis et inutilibus occupando, rationem ſuam ad terrenam ſapientiam curioſè transferendo, & in caducis ac vilibus rebus delectãdo. Item quùm oculos diuinæ claritatis extollit, conqueratur ſe cognitionem & ſenſuum ſuórum intelligentiã ad terrena vertiſſe. Similiter quùm aures miſericordiæ eius collaudat ſe reũ proclamet, quod verbo dei nunq̃; (ut debuit) intendit, nec aures ſuas proximi precibus inclinauit. Ore aũt ſuo frequentiſsimè peccauit, murmurando, uana & inutilia loquendo, á verbo dei & doctrina, oratione & cantu os ſuum claudendo. Iugum etiam Chriſti, quod in baptiſmo ſuſcepit, toties impatientia abiecit, quùm quicquid aduerſi euenerit ei, ferre noluit, aut inuitus portauit. Inſuper religionis iugum, quod deo coram ſanctis omnibus profeſſus eſt, frangendo obedientiam, & non curando quaſi dereliquit. Quùm verò recolit, quam inhumaniter dominus noſter Ieſus Chriſtus flagellatus eſt, culpam ſuam agnoſcat in hoc, quod corpus ſuũ non caſtigauit, ſed ei ſæpius ĩ pigritia conſenſit: & delicatius enutriuit. Corde quoq; deli

quit, quod deum totis præcordijs non amauit, nec legem dei meditando & operando impleuit: ſed magis ſe inutilibus cogitationibus occupauit. Manibus etiã peccauit, mala faciendo & à bonis vacando, ſpecialiter ab operibus miſericordiæ et charitatis. Spirituales quoq; pedes eius ideſt affectus ſuos multipliciter infecit, quùm eos à deo auertit: nec ipſum & cœleſtia toto deſyderio concupiuit.

Qualiter ſe homo ante confeßionem diſcutiat. Cap. VI.

ANte confeßionẽ homo ſe denudare debet per proprij ſtatus diſcußionem, ſicut Chriſtus ſe denudauit ante flagellatioũe & crucem. Et quia Ieſus benedictus ſe expoliauit ad verbera: iure denudabit ſe homo ad verba. Item ante confeßionem oportet hominem contemplari animæ ſuæ faciem in ſpeculo virtutum Chriſti. In ſpeculo itaq; humilitatis Chriſti, conſyderet homo diligenter humilitatem ſuam, ſi in aliquo violauerit faciem ſuam ſuperbia ſeu elatione. In ſpeculo patientiæ Chriſti, probet homo patientiam ſuã, ſi maculam vllam impatientiæ in ſe deprehendat. In ſpeculo obedientiæ Chriſti, attendat homo vultũ ſuum: ne culpam inobedientiæ in ſe inueniat. In ſpeculo autem amoris Chriſti, probet, quã amoroſus

ſit ad maiores, ſcilicet ad prælatos, quam pacificus ad æquales: quā manſuetus ad minores. Et ſi quid in his vel ſimilibus in facie animæ ſuæ repræhenſione dignum inuenerit, ſtudeat ſuauiter abſtergere leni panno humanitatis Chriſti, recolens dulciter, quod Chriſtus frater noſter eſt, qui ita pius eſt: vt quùm homo peccatum ſuum agnoſcit; ipſe miſericorditer ignoſcit. Caueat ergo homo, ne acriter nimis maculas ſuas diluat, ſcilicet ſine conſyderatione bonitatis diuinæ, quia eas durius tergendo: plus ſauciaret, quā ſanaret.

Qualiter homo omnes ad laudem dei inuitet. Cap. VII.

QVùm vice quadā valde laborioſe cantaſſet (ſicut frequenter ſolebat) & iam viribus defeciſſet: videbatur ſibi, quod omnē flatum, quē ſpirabat: de corde dei traheret, & ita non viribus ſuis, ſed quaſi diuina virtute cantaret. Solebat enim totis viribus deo cantare, & tam feruenti amore: vt videretur ei, quod ſi etiam ex hoc ſpiritum exhalaret: non tamen à cantu ceſſaret. Quùm ergo tali vnione in deo & cum deo canere videretur: dixit illi dominus. Sicut tu modò flatum tuum ex corde meo trahere videris, ſic omnis qui in amore meo, aut me deſyderando ſuſpiraue-

rit, non de ſuo, ſed de meo diuino corde ſpiramentum trahit, in modũ follis, qui nullum in ſe continet flatũ, niſi quantum ex aere trahit. Qùm autem hymnus. Benedicite omnia opera domini domino, in choro legeretur, deſyderabat ſcire, quid ex hoc laudis deus haberet: qùm ita creaturæ ad laudem eius inuitantur. Ad quod dominus reſpõdit. Qùm hic hymnus vel alius ſimilis cantatur, in quo creaturæ ad laudem diuinam conuocantur, omnes creaturæ ſpiritualiter velut perſonæ quædã in mea præſentia ſtantes pro homine illo, vel etiã generaliter pro omnibus, in omnibus, quæ feci ſibi, bonis me collaudant.

De reſiſtendo cogitationibus malis. Cap. VIII.

ANgelus domini apparuit aliquando huic famulæ Chriſti, et tulit de corde eius quaſi chartam, quæ ſanguine ipſius ita erat inſcripta. Deus
Deut. 32. fidelis, in quo non eſt iniquitas. Et illud. Mallẽ
Pſ. 91. mori: quã criminaliter à te ſeparari, quam domino cum gaudio præſentabat. Mane etenim dum cogitationibus infeſtata fuiſſet: illa hæc cogitauerat, reſiſtendo. Et ait angelus ad eam. Hæc tu hodie cogitaueras. Et hoc ſcias, quod quoties homo cogitationibus et deſyderijs ſuis reſiſtendo pro

ponit in corde ſuo, potius mori, quã velle peccare: ſtatim coram deo acceptatur, ac ſi homo virtutẽ illam opere perfeciſſet. Tunc illa procidens ad pedes domini, conqueſta eſt, quod omne tempus vitæ ſuæ inutiliter viuendo conſumpſiſſet, proponens de cætero ſi poßibile eſſet, quod vſq; in diem extremi iudicij, viuere vellet etiam in maximis pœnis & doloribus, in quibus homo vixit ſuper terram. Cui dominus. Pro omnibus quæ neglexiſti, ſaluta cor meum in diuina bonitate, quia ipſum eſt fons & origo totius boni: & vnde omne bonum procedit. Secundo, ſaluta cor meum in affluentia omnis gratiæ, quæ effluxit, effluit, & effluet in omnes ſanctos, & in animas ſaluandorũ. Tertiò, ſaluta venam illam dulcifluam benignißimi cordis mei, quæ toties erumpens infudit & inebriauit animã tuã torrẽte meæ diuinæ uoluptatis.

De ſalutatione domini et eius conſolatione. Cap. IX.

QVùm die quadam animæ ſuæ dilectum præcordialiter ſalutaſſet: ille reſpondit. Quùm ſalutas me: reſaluto te. Quùm me laudas: laudo me ipſum in te. Et quùm gratias agis: ago & ego in te, & pro te gratias deo patri: licet quandoq; minimè ſentias. Sciendũ quod eodem modo, quùm

homo laudat deum, vel orat, ſiue quodcunq; facit, & ipſi non ſapit, deo tamen, qui nec accreſcit, nec decreſcit, ſed ĩmutabilis perſeuerat: non ideo minus ſapit, qui nunquã niſi in ſe ipſo & ex ſuo amore: erga animam cõmouetur. Qui pro ſuo beneplacito, & ſecundum quod animæ expedire nouerit, eam ſua dulcedine allicit: & amore ſuo liquefieri facit, ĩmò tunc quodammodo magis gratanter ſuſcipit: qui aliquando animæ amantis erga ſe fidelitatẽ cupit experiri.

Qualiter homo cor ſuum ad deum leuet. Cap. X.

NOcte quadam quùm dormire non poſſet: dixit ad dominũ. Eya quam bonum, et quam aptũ eſſet in hoc tẽporis ſilentio tecũ colloqui. Reſpondit dominus. Nunquã in tanta multitudine eſſe poteris, quin ſola mecum ſis: ſi toto corde ad me conuerteris. Vnde quùm homo ſolus eſt, cor ſuum ad deum eleuet, dulciter ipſi colloquendo, ac medullitus ipſum deſyderando: & intima ſuſpiria emittendo, vt ex iugi collocutione cum deo: cor eius diuino amore inardeſcat. Si verò cum hominibus eſt: deo tamen, quantum poteſt, ſemper intendat, de deo cum ipſis libenter loquatur: ſicq; tã ſe ipſum quã alios accendit ad amorem. Omnia

etiam, quæ facit, propter deum ad eius laudem facit, quicquid autē non licet aut non poteſt: pro dei amore libens dimittat. Omnia quoq; ſibi aduerſa & grauia, pro dei amore voluntariè ſuſcipiens, patienter ſupportet. Et adiecit dominus. Quùm aliquam gratiam tibi dedero; omnia prætermittens, te exoccupa: quatinus infuſa gratia liberius & expeditius perfruaris, quia illa hora nihil melius, aut vtilius facere poteris. Quùm autem pſalmum vel aliam orationem, quam ſancti in terris orauerunt, legis: omnes ſancti pro te orāt me. Quùm verò meditaris, aut mecum loqueris: omnes ſancti gaudentes benedicunt me.

De tribus diſpoſitionibus cordis humani. Cap. XI.

ORans aliqādo hæc Chriſti ancilla dixit ad dominum. O millies deſyderate, vtinam de vltimis terræ abyſsis ad te gemere poſsem. Cui dominus. Et quid hoc tibi proficeret? Vbicunq;.n. es: ſuſpirijs tuis me tibi intrahis. Sicut enim cor humanum abſq; aere viuere non poteſt, ſic anima abſq; meo ſpiritu non viuens: velut mortua reputatur. Et ſicut cor hominis tres habet meatus, vnum, vnde aerem ſpirat, alium, vnde cibo & potu confortatur, tertium: vnde cæteris membris

vires miniſtrat: ſic & cor animæ tres habet meatus. Per primum, ſpiritum meum diuinum intrahit ſibi: vnde viuat. Per ſecundum, verbo dei ſcilicet prædicationibus & alijs ſcripturis ſanctis velut cibo optimo confortatur. Per tertium, charitatis operibus fortitudinem membris miniſtrat. Et quia anima membris corporalibus caret, eccleſiæ membris, quæ uelut ſua reputare debet: ipſam charitatem impendat, ſcilicet pro iuſtis & bonis laudes & gratiarum actiones deo offerendo, pro mediocribus, vt in melius proficiant, orando pro malis: vt conuertantur, pro quolibet tribulato: vt ſecundum ſuam indigentiã conſoletur, pro animabus in purgatorio, vt citiùs purgatæ ad cœli gaudia peruenire mereantur.

Triplex inſtructio bona. Cap. XII.

QVadam vice quùm pro operibus noſtræ redẽptionis deo gratias ageret, & perueniſſet ad illum articulum, quod pro nobis baptizari dignatus eſt: dixit illi dominus. Ego te volo baptizare. Et ſtatim riuus magnus de corde dei cum impetu erumpens: animam eius abundè perfudit. Et adiecit dominus. Ecce & ego volo eſſe cõmater tua. Et ſicut cõmatres inſtruunt filias ſuas ſpirituales: ita & ego tria te docebo. Primum eſt, vt

omnia, quæ pateris aduerſa tam mentis, quã corporis, non tibi, ſed mihi, ac ſi ego in te omnia ſuſtineam: patiaris. Secundum eſt, vt omnia beneficia hominum ſiue miniſteria cum hylaritate & gratitudine ſuſcipias, ac ſi non tibi: ſed mihi ab eis impendantur. Tertium eſt, vt totaliter mihi viuas, ita vt omnia opera tua nõ tibi, ſed mihi aſcribas: ac ſi tu nihil aliud ſis, quã ueſtimentũ, quo ego opertus omnia opera tua in te peragã et diſponam.

Quomodo homo conuerſationem Chriſti ſibi vſurpet. Cap. XIII.

DIe quadam dum inter miſſarum ſolennia pigra eſſet, & dormitaret: cum mœrore negligentiam ſuam domino conqueſta eſt. Cui reſpondit dominus. Si nihil inuenies in te, quod tibi diſpliceret, in quo bonitatem meam in te recognoſceres? Et quare nollet homo accipere, quod tam paratus ſum illi offerre? Omnẽ ſiquidem ſanctiſſimam et innocentiſſimã conuerſationem meam, qua vixi in terris, libentiſſimè illi do: vt eam ſibi aſſumens, omnia, quæ ei deſunt: de meo ſuppleat. Cui illa. O dulciſſime deus, ſi tantum placet tibi, vt homo tua ſibi vſurpet, dic rogo, qualiter hoc faciat? Reſpondit. Omnia deſyderia ſua, intentionem & orationem, in vnione deſyderiorum et

orationum mearum offerat deo patri, tunc in tota acceptatione aſcendet coram deo, eritq; omnino vnum, velut ſi diuerſa aromata ſimul accenſa, quorum fumus in vnũ collectus directè aſcendit: ſic oratio illa, quæ in vnione orationis meæ offertur in ſimilitudine optimi odoris aſcendens: acceptiſsima erit deo. Omnis alia oratio licet cœlum penetret: non tamen vnione tali, nec tanta gratitudine acceptabitur coram deo. Item, vt homo omnem laborem, & omnia opera ſua in vnione laborum & operum meorum faciat, à qua eius opera ita nobilitantur: ac ſi cuprum cum auro liquatum à ſua tranſiens vilitate: in auri noblitatẽ penitus mutaretur. Tertio, vt homo omnem vitam ſuam ſcilicet motus, vires, ſenſus, cogitationes, verba, & omnia opera ſua ſecundum modum conuerſationis meæ dirigat, à qua eius vita & conuerſatio ita renouatur & nobilitatur: ac ſi nobilis auis de lutoſo, ac fœtenti aere trãſuolans in optimum aerem: ſe renouaret. Sic homo terreſtris à priſtina conuerſatione ſua tranſiens in nouitatẽ vitæ meæ, totus efficitur cœleſtis: & mihi counitus. Igitur chariſsimi hanc digniſsimã diuinæ pietatis dignationem præcordiali gratitudine ſuſcipientes, vſurpamus nobis ſanctiſsimam Chriſti conuerſationem in ſupplementum omnium, quæ no-

bis in operibus defuerunt. Studeamus etiam ipſi in quantum poſſumus, in virtutibus conformari. Quia hæc ſumma noſtra gloria erit in æterna beatitudine. Quæ enim maior eſſe poterit gloria, quã lucis æternæ candori quadam ſimilitudine appropinquare?

Quòd Chriſti membra velut ſpecula nobis lucent. Cap. XIIII.

HAEC Chriſti ancilla die quadam vidit veſtimentum domini plenum ſpeculis, per quod cognouit, quod omnia Chriſti membra in operibus ſuis velut ſpecula nobis lucent. Pedes enim eius lucent nobis id eſt deſyderia eius, in quibus perſpicere poſſumus quàm tepida ſint deſyderia noſtra ad diuina: quã inutilia ad humana. Genua Chriſti ſunt nobis ſpecula humilitatis, quæ toties in oratione pro nobis curuata ſunt: & in ablutione pedum diſcipulorum. Ibi poſſumus agnoſcere ſuperbiam noſtram, quæ non ſinit nos humiliari: qui puluis & cinis ſumus. Cor Chriſti eſt nobis ſpeculum ardentiſſimi amoris, in quo perſpicere poſſumus tẽporem cordis noſtri erga deum et proximũ. Manus Chriſti ſunt nobis ſpecula bonæ & ſanctæ operationis, in quibus agnoſcere poſſumus quã remiſſi ſumus ad bene operandum: & quam prompti ad

tranſgrediendum mandata dei & ſtatuta noſtræ religionis. Os Chriſti eſt nobis ſpeculum ſuauiloquiorum, laudis, gratiarũ actionis, in quo agnoſcimus inutilitatem verborum noſtrorum, et omiſſionem diuinæ laudis, & orationum. Oculi domini ſunt nobis ſpecula diuinæ ueritatis, vbi agnoſcere valemus tenebras noſtræ infidelitatis: quæ nos impediunt à cognitione veritatis. Aures domini ſunt nobis ſpecula obedientiæ et exauditionis: quia ſicut ſemper paratus fuit ad obediendum deo patri: ita ſemper inclinatus eſt ad preces noſtras exaudiendum: vbi intueri poſſumus inobedientiam noſtram; & duritiam cordis noſtri in neceßitatibus pauperum.

Quomodo homo ſecundum dei benepla citum viuat. Cap. XV.

DIe quadam videbatur ei, quod columba ſederet in ſinu domini, quæ ſignificabat ſimplices, qui dona dei ſimplici corde ſuſcipiunt: nec diſcutiunt opera dei, nec facta hominum diiudicant, in quibus dominus maximè delectatur. Illa verò deſyderans ſcire, quomodo ſe regere deberet: intellexit quod ſecundum conuerſationem Chriſti, quæ in quatuor partes diuiſa eſt. Primo enim Chriſtus ſemper fuit feruens corde, ita ipſa quùm ſola eſſet,

ſemper intendere deberet deo per conſyderationem eius diuinitatis, vel operum humanitatis eius, uel per meditationem eorum, quæ deus fecit in ſanctis ſuis, uel quibuscunq; & etiam ſibi ipſi miſericordiam ſuam diuinam infudit. Secundo, Chriſtus fuit omnibus ſocialis & mitis, neminem mordaci lædens verbo: ſic verba eius ſemper eſſe deberent de factis Chriſti, aut de exemplis ſanctorum, aut de vtilitate proximorum. Tertio, Chriſtus ſemper fuit vtilis in omnibus operibus ſuis: tam in ſanatione corporum, q̃; animarum, ſic ipſa deberet intendere, vt omnia opera ſua ſtudioſè faceret cũ prudenti & hylari corde ad dei laudem, & proximorum ſalutem. Quarto, Chriſtus fuit patientiſsimus in omnibus perſequutionibus & paſsionibus ſuis, ita et ipſa ad omnes pœnas et iniurias patiens eſſe deberet: benignè eas tolerando, & ſicut ouis, dum in paſcuis eſt: ſæpe balat, ſed quùm ad mactãdum trahitur, coram carnifice ſilet: ſic anima fidelis quùm nullum ſentit grauamen, timere debet, ſed quùm tribulatur ſiue in corpore, ſiue in anima: tunc ſecura eſſe debet. Poſt hoc orabat dominum, ut eam inſtrueret, quomodo ſingulis horis ſecundum beneplacitum eius viuere poſſet. Cui dominns. Mane quùm ſurgis, cor tuum mihi offeras ad infundendum meum diuinũ liquorem.

In miſſa mecum eſſe debes quaſi in conuiuio, vbi omnes conueniunt, et nullus excipitur: ſed omnes, ſuos ſumptus ideſt orationes comportāt. Ibi ego dominus liberalitate meæ diuinæ maieſtatis, omnium vulnera ſano, omnium paupertatem dito: omnium afflictiones releuo. Et anima. Domine, quid agis, quùm oro, vel pſalmos lego? Cui dominus. Ego auſculto. Quùm operaris: ego requieſco, et quò ſtudioſius laboras: eò dulcius in te pauſo. Quùm tu comedis: ego laboro, quia tu in me, & ego in te paſcor. Quùm dormis: ego vigilo, & te cuſtodio.

Qualiter homo cor dei ſalutet. Cap. XVI.

MAne quùm primò ſurgis, ſaluta florens & amās cor dulciſsimi amatoris tui, à quo omne bonum, omne gaudium, & omnis fœlicitas effluxit in cœlo & in terra, effluit inceſſanter, et effluet ſine fine, et cor tuum totis viribus cordi eius infundere conare: ita dicens. Laudo, benedico, glorifico, et ſaluto dulciſsimum et benigniſsimum cor Ieſu Chriſti fideliſsimi amatoris mei, gratias agens pro fideli cuſtodia, qua me hac nocte protexiſti: et pro me laudes et gratiarum actiones, et omnia, quæ ego debebam deo patri, inceſſanter

perſoluiſti. Et nunc o vnice amator meus offero tibi cor meum velut roſam vernantiſsimam, cuius amœnitas tota die oculos tuos alliciat: et eius fragrantia diuinum cor tuum delectet. Offero etiam tibi cor meum, ut eo pro ſcypho vtaris, vnde tui ipſius dulcedinem bibas cum omni, quod ĩ hac die ĩ me dignaris operari. Inſuper offero tibi cor meũ ut optimi ſaporis malogranatum, in tuo regio condecens conuiuio, quod comedendo ſic traijcias in te: ut de cætero ſe fœliciter ſentiat intra te, orans etiam, ut omnis cogitatio, locutio, operatio et uolũtas mea ſecundum beneplacitũ tuæ benigniſsimæ uoluntatis hodie dirigatur. Deinde imprime tibi ſignum crucis: dicens. In nomine patris & filij et ſpiritus ſancti, amẽ. Pater ſancte ĩ vnione amoris amantiſsimi filij tui: cõmendo ſpiritũ meum. Quod verbum etiam ad ſingula opera tua, quùm ea incipis, repetas, ſiue dum intras chorum, et quùm horas incohas, uel quùm uis orare, et confidas in deo, quod opus illud, quod tunc agis; nunquam valeat deperire. Cõmenda etiam viſum tuum tã interiorem, quàm exteriorem diuinæ ſapientiæ, orans, vt lumen cognitionis tibi donet, quo voluntatem eius, & omnia illi placita agnoſcere valeas, et ab illicito & vano viſu cauere. Auditum etiam tuum diuinæ commenda miſericordiæ,

orans, vt intellectum tibi ad omnia, quæ illa die auditura es, tribuat, & à nociuo auditu te protegat. Os quoq; tuum & uocem diuinæ cõmenda fidelitati, orans, ut guſtum diuini ſpiritus ſui tibi infundat, quo omnia, quæ illa die proferre debes, tibi ſapiant, & os tuum in eius laude & gratiarum actione aperiat: & ab omni peccato cuſtodiat. Manus etiam tuas diuinæ pietati cõmenda, orans vt opera tua ſuis apponat operibus, et in eis omnia tua ſanctificet & perficiat: et ab omni par uo opere te retrahat. Cor inſuper tuũ diuino amori cõmenda, orans vt illud diuino cordi ſuo cum omni delectatione intrahat, et in amore ſuo ita ſuccendat: vt nunquam terrenum gaudiũm vel delectationem amplius ualeat ſentire. Similiter in miſſa cor tuum offeras deo, & ante ſecretam emunda illud: et ab omnibus terrenis exoccupa, ac præpara, ut valeat ſuſcipere effluxum diuini cordis, qui omnium ibi præſentium corda inceſſanter influit & replet.

De quinq; ſuſpirijs quibus homo obdormiat. Cap. XVII.

VIdit aliquando animam ſuam in ſimilitudinẽ lepuſculi apertis oculis in ſinu domini dormire. Et ait ad dominum. Da mihi domine deus,

more animalis huius, ut quùm dormio corpore: ui gilem ad te mente. Cui dominus reſpondit. Sicut lepus ruminat, & apertis oculis dormit, ſic homo quùm vadit dormitum, ruminet uerſum illum. Oculi ſomnum capiant, cor ad te ſemper uigilet, dextera tua protegat famulos qui te diligunt. Aut aliquid de deo meditetur, vel cum deo loquatur, et ſic obdormiēs: cor eius ad me vigilabit, et ſi quid mali homini illi per ſomnum aduenerit, ſi ſentit moleſtum et graue: ſignum eſt quod nunq́; à me ſeparetur. Item quùm homo vult dormire, trahat ſuſpiriū quaſi ex diuino corde meo ĩ vnione laudis, quæ profluit ex me in omnes ſanctos, in ſupletionem laudis: qua me laudare tenetur omnis creatura. Secundo, iterū ſuſpiret ĩ unione illius gratitudinis, quam ſancti à corde meo trahentes: gratias mihi agunt pro impenſis ſibi donis. Tertio, ſuſpiret pro peccatis ſuis & vniuerſorum in vnione paßionis illius: qua ego omniū tuli delicta. Quarto, ſuſpiret in affectu & deſyderio omnis boni, quo indigent homines ad laudem dei, et vtilitatē ſui, ĩ unione diuini deſyderij mei, quod in terris habui pro ſalute humana. Quinto, ſuſpiret in vnione omnis orationis, quæ ex diuino corde meo in ſanctos meos profluxit, pro ſalute omnium tam viuorum q́; mortuorum, deſyderans, vt omnē ſtatum,

quem dormiens nocte illa trahit: ſuſcipiam ac ſi tali intentione ad me ingemiſcat. Tunc ego, qui votis animæ amantis negare nihil poſſum: in mea diuina veritate ſic complebo.

Qualiter homo fidem ſuam deo commendet. Cap. XVIII.

QViſquis fidem ſuam hoc modo deo cõmendauerit, hanc gratiam ab ipſo conſequetur: vt in fine vitæ ſuæ, nunq̃; in vera fide tentetur. Primo igitur, homo fidem ſuam patris omnipotentiæ cõmendet, orans, ipſam in virtute diuinitatis ſic firmari: vt nunq̃; à recta fide valeat declinare. Secundo, cõmittat eam inſcrutabili ſapientiæ filij dei, orans vt ipſa diuinæ cognitionis luce ſic illuſtretur: vt nunq̃; erroris ſpiritu ſeducatur. Tertiò, reconſignet eam beneuolentiæ ſpiritus ſancti, ſupplicans, vt fides ſua per dilectionem omnia in eo ſic operetur: vt perfectus & conſummatus in hora mortis inueniri mereatur.

De efficacia verbi dei. Cap. XIX.

DIe quadam quùm præ debilitate longius ire non valens, miſſam in ambitu audiret, nec verba percipere poſſet: ingemuit cõquerens ſe deo remotam. Cui dominus reſpondit. Vbicunq; tu es: ego

ego ſum. Tunc illa requiſiuit, ſi aliquid obeſſet, quod homines de longe miſſam audirent. Cui dominus. Bonum eſt, vt homo ſic præſens ſit: ut uerba valeat audire. Quia vt Paulus vobis dixit. Sermo dei eſt viuus, & efficax, & penetrabilis. Hebr. 4 *Verbum, n. dei animā viuificat: infundens ei ſpirituale gaudium, quod etiam ſæpe apparet in hominibus laycis & idiotis, qui licet non intelligant, quæ audiunt & leguntur: ſentiunt tamen gaudium ſpiritus, & inde ad pœnitentiā animantur. Verbum etiam dei efficacem reddit animam ad virtutes, & quæq; bona, & penetrat eam, omnia interiora eius illuſtrando. Sed quúm infirmitate, ſeu obedientia, vel alia rationabili cauſa præpeditur, vbicunq; tunc homo eſt: eidem præſens, & cum illo ſum. Tunc illa dixit. Eya mi domine, dona mihi modò aliquid ex præſentibus miſſæ, verbis, vnde anima mea ſpiritualiter conſoletur. Cui dominus. Ecce iam mihi ter canitur. Agnus dei. In primo, offero me deo patri cū omni humilitate & patientia mea pro vobis. Ad ſecundum, offero me cum omni amaritudine paſſionis meæ, in plenam reconciliationem. Ad tertiū, offero me cum toto amore diuini cordis mei, in ſupplementum omnium bonorum, quæ homini deſunt. Et hoc ſcias, quod qui miſſam deuotè & ſtudiosè*

audierit, in extremis eius, tot nobiles ſanctorum meorum perſonas in eius conſolationem & defenſionem, & ad animam eius cum honore deducendam illi traſmittam: quot miſſas in terris audiuerit. Item quùm vice quadam ad miſſā proficiſceretur, vidit dominum de cœlo in candidiſſima ueſte deſcendentem: & dicentē. Quùm homines ad eccleſiam properant, pœnitentia, pectoris tunſione, & confeſsione deberent ſe præparare, vt ſic diuinæ claritati meæ poſſent obuiare, & eam in ſe recipere; quæ per huius veſtis cādorem declaratur.

Qualiter homo pro negligentijs ſuis ſatisfaciat, & quod dominus ſeptem modis in miſſa veniat. Cap. XX.

ALia etiam vice quùm pro quadam perſona dominum oraret, & quid pro eius negligentijs acceptare vellet, inquireret: tale à domino reſpōſum accepit. Legat quotidie ter pſalmum Laudate dominum omnes gentes. Mane, primum legat, accipiatq; puerum Ieſum in dextera ſua, repræſentans ipſum deo patri cum omnibus operibus infanciæ & pueritiæ eius, in ſuppletionem omnium bonorum: quæ in pueritia ſua neglexit. Secundū laudate, legat in miſſa, & accipiens dominum Ieſum ſponſum animæ ſuæ, reddat ſe culpabilem co-

ram deo patre, quod tãto ac tali ſponſo nec vicem amoris & fidelitatis rependit: nec debitam reuerentiam vnq; exhibuit, recolens quanta bona ab eo gratis accepit, quod pauper & vilis erat, ſed ipſe eam bonis omnibus abundare fecit, offeratq; deo patri feruentiſſimum amorem, quo Chriſtus floruit, & omni virtute enituit: in iuuentute ſua. Tunc illa ſuæ paupertatis memor: dixit ad dominum. Eya q; pauper & vilis ſum ſponſa, quæ nec anulum habeo: quo tibi fidem meam conſignem. Statim oſtendit ei dominus anulum tantæ amplitudinis: vt dominum & animã ſimul circumcingeret, qui anulus habebat ſeptem gemmas precioſas: per quas intellexit deſignari ſeptẽ modos, quibus dominus venire dignatur in miſſa. Primus modus eſt, quod dominus cũ tanta humilitate illuc venit, quod nullus tã malus ibi adeſt, quĩ ad ipſum humiliter ſe inclinet, & ad ipſum veniat: ſi tamen homo ipſum velit. Secundus eſt, quod venit cum tãta patientia, quod nullus tã magnus peccator, aut eius inimicus ibi eſt: ipſum ſuſtineat patienter, & ſi ei reconciliari velit: lætiſſimè omnia debita ei dimittit. Tertius eſt, quod cum tanto amore illuc venit, quod nullus adeò frigidus, & obſtinatus ibi eſt: quin ipſum (ſi velit) in amore ſuo valeat inflammare; & cor eius emollire. Quartus

eſt, quod cum tanta liberalitate illuc venit, quod nullus adeò pauper ibi eſt: quem non poſsit copioſè ditare. Quintus eſt, quod ſe tam dulciſsimum, delicioſiſsimum & ſufficientiſsimum cibum omnibus præbet; quod nullus tam æger tamq; famelicus ibi eſt, quin ab eo refici valeat, & abundè ſatiari. Sextus eſt, quod cum tanta claritate illuc venit, quod nullius cor tam cæcum & tenebroſum eſt: quod eius præſentia non valeat illuſtrari & mundari. Septimus eſt, quod tam plenus ſanctitate & gratia illuc venit, quod nullus adeò ſegnis & indeuotus ibi adeſt, quin à ſuo torpore et tepore valeat excitari; & ad deuotionem incitari. Tertium laudate, legat in veſpere, & accipiens dominum Ieſum cum tota ſua ſanctiſsima cõuerſatione, repræſentet ipſum deo patri pro omnibus, quæ neglexit in vita ſua, orans per ipſum omnia ĩperfecta ſua plenè ſuppleri. Inſuper ſi oĩa deperdita, deprauata, ſiue neglecta ſua ſufficienter recuperare voluerit: ſæpius accedat ad nobiliſſimum & digniſsimum ſacramentũ corporis Chriſti, quod in ſe continet omnia bona; omniſq; gratiæ eſt contentiuum.

Qualiter homo ad communionem accedat. Cap. XXI

ANcilla Chriſti moris erat, vt dum cõmunicare vellet: Chriſti paſſionem diligenter recoleret. Et quando hoc negligebat: grauiter ſe deliquiſſe timebat, eo quod dominus ipſe dixerat: hoc facite in meã cõmemorationem. Vnde quùm dominum oraſſet, vt verbi huius ſenſum ſibi exponeret: ſic intelligendum per ſpiritum eſt edocta. Luc. 22
Tria ſunt nobis cõmemoranda tempore ſacratiſsimæ cõmunionis corporis Chriſti. Primũ eſt, æternus ille amor, quo nos deus (quùm non eſſemus) amauit, præuidensq; omnẽ defectum & perfidiã noſtram: tamen nos creare dignatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, pro quo debitas gratias referemus. Secundum eſt, amor ille inæſtimabilis, quo filius dei quùm eſſet plenus delicijs in gloria patris: inclinauit ſe ad omnem noſtram miſeriã, quam patimur in vinculis Adam, ſcilicet famẽ, ſitim, frigus, æſtum, laſsitudinem, triſtitiam, opprobria, pœnas & mortem turpiſsimã: vt nos ab omni miſeria liberaret. Tertium eſt, amor ille inſcrutabilis, quo nos ſingulis reſpicit momentis, fouetq; cura pijſsimæ paternitatis ita, quod ille, qui eſt creator noſter, dominus, redemptor, & frater dulciſsimus, ſemper aſtans deo patri pro nobis, cuncta noſtra diſponit & promouet negotia: tanquã aduocatus & miniſter fideliſsimus. Hæc

tria ſingulis momentis in memoria habere debẽmus; ſed tunc ſpecialius, quùm interſumus cœleſti conuiuio, qnod nobis donauit redemptor noſter amantiſsimus pro ineffabilis amoris ſui teſtamento, cum omni gratiarum actione meritò ſemper recolendo. Intellexit etiam, quod quùm homo memoriã ſuam terrenis negocijs et inutilibus cogitationibus occupat: faciem animæ ideſt imaginẽ ſanctæ trinitatis in ſe maculat. Similiter quùm intellectum ad terrenã ſapientiam et curioſitatem conuertit: animæ ſuæ faciem inficit. Quùm etiam à voluntate dei diſcordat, & aliquid præter deum aut non propter deum amat, ac in tranſitorijs delectatur: imaginẽ dei in ſe vitiat. Quia igitur anima quandiu in corpore eſt, frequentius à terrenis maculas contrahit, oportet ut in ſpeculo ideſt in dei facie, ubi ſimilitudinem ſuã indeprauatam lucidiſſimè conſpicit: vultum ſuũ ſæpius ſpeculetur, & tunc præcipuè quùm dominicũ ſacramentum percipere voluerit. Et ſicut candor et rubor ſponſæ faciem multũ exornat, ſic ſtudeat anima frequenti ſe confeſsione abluere: ac iugi recordatione paſsionis Chriſti, quaſi roſeo colore vultũ ſuũ decorare.

Qualiter ſe homo præparet ad ſanctã cõmunionem. Cap. XXI.

ALia vice quùm eſſet cõmunicatura: dixit ad dominnm. O dulciſsime deus meus, doce me, qualiter me præparem ad tui venerandi corporis ſuſceptionem. Cui dominus reſpondit. Quid fece Matth: 26
runt diſcipuli mei, quos miſi ante faciem meam præparare paſcha, quùm ante paſsionem meam cũ Mar. 14.
eis erã cœnaturus? Statimq; videbatur ſibi quaſi luc. 22.
eſſet in domo miræ magnitudinis, in qua erat menſa aurea, et mantile ſuper poſitum, eratq; referta diuerſis vaſorum aureorum generibus. Et ait dominus. Hæc domus amplitudinem immenſæ largitatis meæ deſignat, quæ ad ſe venientes liberaliter ſuſcipit & gratanter. Qui igitur commnicare voluerit, ad largitatis meæ confugiat clementiam: & ipſa velut mater benigniſsima eum ſuſcipiens, à malis proteget vniuerſis. Menſa ſignat amorem, ad quem cõmunicans ſecurum debet habere acceſſum, qui omnem animæ inopiam ex participatione & cõmunione omnium bonorũ copioſè ditabit. Mantile denotat pietatem meam, quæ inſtar mantilis, tractabilis eſt & lenis: et ualde ad hominem inclinata. Ad hanc etiam ſecurum habebit homo confugium, quia recordatio ſuauitatis et pietatis meæ, homini ad obtinendum omnia ſaluti eius neceſſaria reddet auſum. Super menſam etiam vidit agnum niue candidiorem, qui

ut pede ſuo tetigit vaſa: mox diuerſis cibis & potibus replebantur. Hic agnus, Chriſtus erat: qui ſolus animæ cibus eſt & refectio vera. In hac domo erant duæ pulcherrimæ uirgines miniſtrantes, miſericordia ſcilicet et charitas, miſericordia erat oſtiaria, quæ omnes aduenientes benigniſſimè intromittens; ad menſam illam collocabat. Charitas verò diſcumbentibus miniſtrabat: eratq; omnium illuc venientium largiflua propinatrix.

Quali deſyderio, ac intentione homo accedat ad cõmunicandũ. Cap. XXIII.

ALia vice quúm ſignũ poneret cõmunicatura: dixit ad dominum. Scribe dulciſſime domine nomen meum in corde tuo, nomenq; tuum melliſluum cordi meo per iugem memoriam inſcribe. Cui dominus dixit. Dum vis cõmunicare, tali intentione me ſuſcipias: ac ſi omne deſyderium, & omnem amorem, quo unq̃; humanũ cor ad me flagrauit: haberes, ſicq; in altiſſimo amore, quo poſſibile eſt cor humanũ affici: ad me accedas. Ego q; amorem illum in te ſuſcipiam, non prout eſt in te, ſed ac ſi talis et tantus eſſet: quantum eum eſſe volebas. Alia vice quúm idem ſignum poneret: dixit. Scribe domine nomen meum in cor tuum, & ſtatim uiſus eſt ei dominus literas aureas ſe

ptem gēmis ornatas gerere ī pectore ſuo. Viditq; literam primam nominis ſui: et agnouit eius ſigni ficationem. Prima gemma ſignificabat cordis mū ditiam. Secunda: aſsiduam memoriam conuerſa tionis Chriſti. Tertia: humilitatem. Quarta: in crementum bonorum operum. Quinta: patientiā in aduerſis. Sexta: ſpem. Septima: cœleſtium amorem: his virtutibus velut quibusdam gemmis cōmunicans debet eſſe inſignitus.

De triplici vnguento animæ. Cap. XXIIII.

QVum pro quadam oraſſet, quæ ei conqueſta fuerat, quod minus deuotionis ſentiret, dum communicaret: hanc ex deo doctrinam illi dedit. Quando volueris cōmunicare, ſi cor tuum ſentis tepidum ad orationem, nec habes tale deſyderium & amorem, prout decet: clama toto corde ad de um, & dic. Trahe me poſt te: curremus in odo Cant. 1
rem vnguentorum tuorum. In hoc verbo. Trahe, cogita quam potens & immenſus fuit amor, qui omnipotentem et æternum deum ad tam pœnoſum & ignominioſum crucis ſupplicium duxit, deſy-derans, vt ipſe, qui dixit. Si exaltatus fuero à ter Ioan. 12.
ra, omnia traham ad me ipſum: cor tuum trahat cum omnibus animæ tuæ viribus ad ſeipſum, et ſá

ciat te currere cum amore et deſyderio in odorem trium vnguentorum illorum, quæ de ſui dulciſſimi cordis nobiliſſima apotheca tam largè profluxerunt: quod cœlum et terram impleuerunt. Primum vnguentum eſt, aqua illa roſacea, quam amor diuinus ex roſa illa nobiliſſima dominico ſcilicet pectore in camino decoxit charitatis. Hoc vnguento vtaris pro ablutione faciei animæ tuæ, recogitans diligenter ſi aliquam in ea inuenias peccati maculam, quam ores et deſyderes ablui hoc fonte miſericordiæ: quo latronem lauit in cruce. Secundum vnguẽtum eſt, vinum illud rubeum ſanguis ſcilicet precioſiſſimus, quem amor in torculari crucis expreſſit, & cum aqua eduxit de cordis eius roſeo vulnere, ex quo petas animæ tuæ faciem colorari: vt tanto conuiuio dignè poſſis adaptari. Tertium vnguentum eſt, ſupereminens et ſupereffluens diuini cordis dulcedo, quam nec mortis amaritudo minuere potuit, et dicitur vnguentum balſaminum, omnem uincens odorem aromatum; et valet ad omnem languorem. Hoc vnguentum petas infundi à corde diuino animæ tuæ, vt guſtet et ſentiat, q̃ſ ſuauis eſt dominus. Et guſtata ſuauitate eius, impingueris, dilateris, conforteris, et incorporeris ei: qui ſe tibi talem dedit per amorem. Et ſi nullam ex prædictis omnibus

ſentis ſuauitatem, petas vt in dulciſsimo & fidelisſimo amatore tuo perficiatur omnis imperfectio tua, & vt ipſi ſapiat tua inſipiditas, ac in ipſo fer neſcat omnis tua tepiditas; ipſeq; ſolus glorificetur ĩ omnibus operibus tuis hic et in futuro. Quùm etiam oraret pro quadam, quæ ſæpius cõmunicare trepidabat: dominus reſpondit. Quò ſæpius homo cõmunicat: eò purior anima eius efficitur, ſicut quò frequentius quis abluitur: eò mundior redditur. Quò etiam ſæpius homo cõmnicat, eò amplius ego in eo: & ipſe in me operatur, et eius opera magis ſanctificantur. Item quò ſtudioſius homo cõmunicat: eò profundius mihi immergitur. et quanto plus diuinitatis penetrat abyſsum, tanto amplius animus eius dilatatur: & diuinitatis capax efficitur, ſicut quò ſæpius aqua defluit in unũ locum, eo profundius ipſum cauat: et ad magis influendum reddit aptiorem. Item quùm oraret pro quadam, quæ pro tepore, et leuitate ſæpius cõmunicare omittebat: vidit dominũ coràm ea ſtantem, eiq; dicentem. Chariſsima mea, quur me fugis? Accede fiducialiter ad patris omnipotentiam; ad confortandum te, ad filij ſapientiam: ad illuminandum te, ad ſpiritus ſancti benignitatem ad dulcificandum te.

Qualiter cor hominis deo vniatur. Cap. XXV.

QVum vice quadam venerabile ſacramentũ corporis Chriſti percepiſſet, poſt dulcia cum ipſo colloquia viſum eſt ei, quaſi dominus acciperet cor animæ, & comprimeret illud cordi ſuo ita: vt in vnam redigerentur maſſam. Et ait dominus. Sic uellem ut hominum corda ita mihi per deſyderium eſſent vnita: vt homo nihil ſibi deſyderaret, ſed omnia deſyderia ſua ſecundum cor meum diſponeret, ſicut duo venti ſimul flantes: vnũ ſolum aerem ſpirant. Secundò, vniri mihi debet in omni operatione ſua, ſicut ſtilla aquæ magno immiſſa fluuio, quæ omnia, quæ flumen illud agit: etiam inſimul operatur. Verbi gratia, quùm neceſſaria & corporis cõmoda, videlicet cibum, potũ, ſomnum, veſtes & ſimilia ſuſcipere debet: dicat ore vel corde ſuo. Domine in unione amoris, quo hoc mihi cõmodum creaſti, et ipſe ĩ terris ad honorẽ patris et hominum ſalutẽ, conſimili cõmodo uti voluiſti, & ego peccator indignus omni bono tuo, & minor cunctis miſerationibus tuis, tibi in æternam laudem: et corporis mei ſuſcipio neceſſitatẽ. Similiter et iniunctũ ſibi opus faciẽs: dicat. Domine in vnione amoris, quo te in laboribus exercere dignatus es, & adhuc in anima ſine intermiſſione

operaris, & nunc opus hoc mihi iniunxiſti: tibi ad laudem, pro vtilitate vniuerſitatis illud facio, orans cum perfectiſſima operatione tua illud vniri & perfici: qui dixiſti. Sine me nihil poteſtis facere. Labores etiam & ſeruitia ſibi miniſtrantiũ accipiat in vnione amoris, quo ipſi in honorem dei ſeruitur; ut ſeruientes inde ſanctificentur. Tertio, per voluntatum concordiam, vt omnia, quæ ego volo: etiam ipſe velit, tam in aduerſis q̃; in proſperis, ſicut electrum igne conflatum non amplius diuiditur: ſic homo ille vnus per amorem ſpiritus mecum efficitur, quod maximæ perfectionis eſt in hac vita. Ioan. 15.

De ſeptem horis Canonicis.
Cap. XXVI.

ANcilla Chriſti de ſeptem horis cogitans: audiuit à domino. Quùm primò nocte ſurrexeris ad matutinas, ob reuerentiam illius amoris, quo me vinctum tradidi in manus impiorum, & quo factus ſum obediens vſq; ad mortem, diſponas in corde tuo, obedire te velle ad omnia, quæ tibi iniunguntur, etiam ſi die illo omnem obedientiam opere perficere poſſes; quam aliquis ſanctorum adimpleuit. Ad primam, ob reuerentiam illius humilitatis, qua corã iniquiſſimo iudice velut agnus

manſuetiſsimus iudicandus ſteti, ſubijcias te omni creaturæ propter me: et ad quælibet vilia & humilia ſis parata. Ad tertiam, ob amorem, quo ego contemptus, conſputus, & omni opprobrio ſaturatus fui: temetipſam contemnas & uilipendas. Ad ſextam, cogitans qualiter ego amator tuus pro amore tui cruci affixus fui: crucifigas tibi mundum, teq; mundo, omniaq; mundi delectabilia ac ſuauia velut crux tibi ſint amara. Ad nonam, moriaris mundo & omni creaturæ. Videlicet vt amoroſa mors mea in tantũ cordi tuo dulceſcat; vt omnis creatura tibi diſpliceat et vileſcat. Ad veſperas, hora videlicet, quã de cruce depoſitus ſum: recolas in gaudio, qualiter poſt mortem & omnes labores tuos, fœlici requie in ſinu meo pauſabis. Ad completorium, memor ſis illius beatiſsimæ vnionis, qua vnus ſpiritus mecum effecta: me ipſo in ſumma experientia perfrueris. Quæ vnio hic incipiet per voluntatis meæ, et tuæ concordiam, in omnibus tam proſperis q; aduerſis: & in futuro complebitur per gloriam ſine fine manſuram.

Qualiter homo horas incohet.

Cap. XXVII.

APparuit aliquãdo huic famulæ ſuæ dominus, quem requiſiuit īter alia, ſi ſicut legitur de ui

tijs, quod nullum peccatum adeò leue ſit (ſi veni at in vſum) quin fiat mortale: etiam virtutes ex conſuetudine factæ, maioris meriti coram deo reputentur. Cui dominus. Etiam nullum bonum eſt adeò paruum, quin ipſa conſuetudine bona: magnnm appareat coram deo. Tunc illa. Et quod eſt minimum bonum? In quo ſe homo vtiliter & frequentius valeat exercere? Cui dominus. Vt homo deuotè et intentè legat horas ſuas, non quod hoc bonum minimũ ſit, ſed quod minus eſſe non poteſt: quã vt homo debita ſua perſoluat. Quùm igitur horas incohat: dicat corde vel ore. Domine, in vnione illius deuotæ intentionis, qua ipſe in terris laudes deo patri perſoluiſti: hanc tibi horam perſoluo. Et ſic deo (quantum poteſt) intendat. Quod dum homo ex frequenti ſtudio in vſum portauerit, tantum nobilitatur & magnificatur coram deo patre: vt quaſi vnum cum meo exercitio reputetur. Ab exordio itaq; horarum vſq; ad pſalmos, laudans extollat abyſſum humilitatis, qua illa excellentiſſima diuinitatis maieſtas à ſummo cœlorum ſe inclinans, in vallem miſeriæ noſtræ ſe deiecit, in qua humilitate dominus angelorum factus eſt hominum frater & ſocius, immò & humilis ſeruus: ſicut ipſe dixit. Non veni miniſtrari: ſed miniſtrare, & ob reuerentiã humiliatio-

nis illius, inclinet ſe profundè & deuotè. Inter pſalmos autem extollat inſcrutabilem dei ſapientiam, quæ tam dignanter cum hominibus conuerſata, per ſeipſam dignata eſt hominem ſalutaribus inſtruere verbis et monitis, gratias agens ei, dum inclinat, pro omni doctrina & verbis melliflůis; quæ vnquam de corde eius dulciſsimo profluxerunt. Item gratias agat pro verbis prophetarum, & prædicationibus ac dictis ſanctorum. Item pro omni gratia & ſpirituali inſtructione, qua per ſemetipſum deus beneplacitum ſuæ voluntatis homini inſpirare digatur. Poſt pſalmos vero vſq; ad finem horarum, extollat dulciſsimam benignitatem, in qua dominus Ieſus ſe exercuit in omnibus, quæ dixit, fecit, aut paſſus eſt, gratias agens pro omnibus deſyderijs, orationibus, & omnibus, quæ fecit & pertulit pro nobis, et ſpecialiter quicquid illa hora ſuſtinuit: gratias referat.

Qualiter homo ſuppleat negligentias in horis commiſſas Cap. XXVIII.

ORans aliquando pro quodam, qui ſibi conqueſtus fuerat, horas indeuotè & alia cogitando frequentius diceret: tale à deo reſponſum accepit, ſemper poſt finem horarum, hoc aduingat. Deus propitius eſto mihi peccatori, vel hoc. O

agne mitiſſime miſerere mei, quatinus per hoc eius negligentia ſuppleatur. Tunc illa dixit. Et quid ſi hoc facere neglexerit, vt ſcilicet hoc ad omnes horas non dicat? Et dominus. Si poſt horas legere neglexerit, dicat ſaltem illud ſepties in die, hora qua uoluerit: pro ſua negligentia. Si enim hoc verbum. Deus propitius eſto mihi peccatori, in publicano tantum præualuit, ut de omnibus peccatis ſuis iuſtificari meruerit, quur non in alio de negligentia eius veniam impetrabit? Nam miſericordia mea tantæ clementiæ nunc eſt: quantæ tunc fuit. luc. 18.

Quàm vtile ſit homini ſenſus à noxijs ſeruare. Cap. XXIX.

QVùm vice quadam in affectu mentis inter alia deo diceret, quod eius captiua libēter eſſe vellet: dominus reſpondit. Qui meus captiuus eſſe voluerit in terris: oculos ſuos ab omni illicito et inutili viſu retrahat & cuſtodiat, huius ego oculos cœleſti gloria, vultus mei claritate, & manifeſtatione gloriæ meæ reuelabo, ac ĩ tantis delicijs me ipſum illi oſtendam: vt tota cœlorū militia cū iubilo admiretur. Similiter qui aures ſuas captiuat, ab inutili & nociuo auditu eas auertendo, huic ego dulciſonæ vocis meæ modulatione ſuauiſ-

ſimum melos in æternitate, ſingulari gloria decantabo. Qui etiam os ſuum ab ocioſis & nociuis uerbis refrenat, huius ego os laude mea tam excellenter aperiam: vt ſpeciali dignitate præ cæteris laudem meam promat. Qui etiã cor ſuum à malis & vanis cogitationibus, & nociuis deſyderijs cohibet, hunc ego tanta libertate dotabo: vt mei & omniũ, quæ voluerit, potens ſit, eiuſq; cor in meo diuino corde, ſingulari libertate & delicijs perpetuò exultabit. Et qui manus ſuas alligat, ne opus peccati faciant, hunc ego ab omni labore abſoluã, eiuſq; bona opera meis operibus vnita tanto honore extollã: vt tota cœleſtis curia nouo gaudio cumuletur.

Quomodo deus in quinq; ſenſibus ab homine quæratur. Cap. XXX.

ALia vice dixit ad eam dominus. Quære me in quinq; ſenſibus tuis, faciendo more hoſpitis, qui amici ſui dilecti aduentum pro foribus expectat, & per feneſtras reſpicit, ſi vſpiam deſyderatum ſuum videat: & eum ſemper quærat. Sic anima fidelis in quinq; ſenſibus ſuis, qui feneſtræ eius ſunt: me ſemper quærit. Et ſi viderit pulchra & amabilia: cogitet, quã pulcher & amabilis, & quã bonus eſt, qui illa fecit: tendens ſtatim in

eum, qui fecit omnia. Quùm autem ſuauẽ audit melodiam, ſeu aliquid, in quo auris delectatur: cogitet, quã dulcis erit vox illa fœlices animas vocans, unde omnis dulcedo & ſoncritas vocum procedit. Item quùm audit homines loquentes aut legentes aliquid, ſemper ad hoc intendat auditum, ſi aliquid audiat: in quo dilectum valeat inuenire. Similiter in omnibus, quæ loquitur, dei gloriam & proximorum quærat ſalutẽ. Quùm verò legit vel cantat: cogitet, quid tunc in illo verſu, vel in illa lectione dilectus ſibi loquitur, aut mandat, quærens eum in omnibus; donec diuinæ dulcedinis aliquem perſentiat guſtum. In olfactu, & tactu ſimiliter faciat, rememorando quã ſuauis eſt ſpiritus dei: & quã dulcia oſcula & amplexus eius erunt. Et in quacunq; creatura delectatur: ſemper deliciarum dei memoretur, qui omnia tam pulchra & delectabilia ac ſuauia nobis ad hoc creauit, vt ad ipſius bonitatis cognitionem et amorem alliciat & perducat. Vnde in corde ſuo proponat, quod ſi poſsibile eſſet, omnẽ laudem, & gratiarum actionem, & omne miniſterium deo libentiſsimè perſolueret: quod quilibet ei offerre tenetur. Similiter omnẽ pœnam, tribulationem, et laborem, quẽ aliquis pro dei pertulit amore: ſufferre ſit paratus. Et quùm oraret pro

portinaria, quæ grauata erat ex ſuperuenientibus hoſpitibus: audiuit à domino. Omnia ueſtigia, quæ homo propter obedientiã ambulat, ita meritũ eius augmentãt, ac ſi denarios ſingulos in manu mea cõgregaret. Alia vice dixit ei dominus. Maximũ et vtiliſsimũ bonũ, quod homo ore ſuo facere poteſt eſt laus dei et collocutio frequens cũ deo, ſcilicet in oratione. Laudabiliſsimũ etiã deo, quod oculis facere poteſt: ſunt amoris lachrymæ, et ſacræ ſcripturæ iugis lectio. Auriũ uerò ſaluberrimũ exercitium eſt; libenter audire verbum dei: et ad obediẽdum inclinatas eas ſemper eſſe et paratas. Fructuoſiſsimũ etiã, quod manibus peragi poteſt: eſt eleuatio manuũ in oratione, et ſancta, ac ſpiritualia ſcribere. Optimũ quoq; cordis eſt, deũ toto corde feruenter amare et deſyderare: atq; in meditatione de ipſo dulciter cogitare. Totius corporis exercitatio perutilis eſt, genuflexio, veniæ, vigiliæ, et opera charitatis. Habeat inſuper homo alia in quibus deus delectatur ſcilicet charitatẽ, humilitatẽ, depreſsionẽ, gratiarũ actionẽ, et in omnibus ſibi accidentibus homo ſæpe dicat. Sit nomen domini noſtri Ieſu Chriſti benedictũ in ſecula. Et, Deo gratias, et omni tẽpore, et in omni euẽtu dominũ benedicat.

Spiritualis gratiæ libri tertij

FINIS.

INCIPIT SPIRITUA-
LIS GRATIAE LIBER
QVARTVS.

Quid religioſus obſeruare debet ut in religione conſeruetur.
Cap. I.

PIA hæc et deuota ancilla in quadam ſexta feria vidit dominum Ieſum expaſsis manibus in altari ſtantem, vulneribus eius ſanctiſſimis ueluti recẽtibus vbertim ſanguinem fundentibus, qui dixit ad eam. Ecce rupta ſunt omnia vulnera mea ad placandum deum patrẽ pro vobis. Glorioſiſsima etiam virgo Maria ſtabat à dextris filij, habens in capite coronã miræ magnitudinis, in qua omnes virtutes et merita ipſius, ac eminentiſsimæ gratiæ eius, nec non & omnia, quæ per eam deus operatus eſt, magnalia miro modo apparebant. Anima verò accedens ad eam: rogabat, vt pro ſe & congregatione oraret. At illa cum multa reuerentia coram filio genua flectens, ipſius vulnera deuotiſsimè ſalutabat: præcipiens animæ, vt ipſa ſimiliter faceret: dicens. Accede & tu, & ſaluta vulnera dulciſsimi filij mei, quæ pertulit per omnia corporis ſui membra. Quod dum gratanter feciſſet, ec-

ce vulnera illa apparuerunt quaſi gemmis precioſiſſimis ornata. Et dum illa miraretur. dixit ei dominus. Sicut gemmæ magnas in ſe habent vires, vt etiam quædam hominum expellant infirmitates, ſic vulnera mea tātæ efficaciæ ſunt: vt omnes animæ languores depellant. Verum ſunt quidam tam pauida habentes corda, quod nunq̄; de mea cōfidere audent pietate: ſed præ timore à facie mea fugere cupiunt. De quibus dici poteſt, quod tremulam paralyſim patiantur. Qui ſi ad meam paſſionem fugerent, & vulnera mea ſæpius dulciter ſalutarent: omnem prorſus ab eis timorem effugarent. Sicut etiam quidam vaga & inſtabilia habentes corda, cogitationibus vbiq; circumuolantes, et per vnicum quandoq; verbum ad irā et impatientiam labentes, qui ſi cordetenus paſſionem meam recolerent, & vulnera mea cordi ſuo infigerent: cordis ex hoc ſtabilitatē acquirerent, & patientiā inuenirent. Item ſunt quidam ſomniculoſam paralyſim habentes, illi ſcilicet qui omnia tepidè & pigrè faciunt. Hi etiam ſi paſsionem meam deuotè recolerent, attendentes vulnera mea q̄; profundè, & quanto dolore infixa ſunt mihi: ab omni torpore excitarentur. Poſt hæc orabat dominum, vt ei reuelare dignaretur, quid maximè ab eis obſeruari vellet: per quod religio in eis poſ

ſet augeri. Qui reſpondit. Qui verè religioſus eſſe deſyderat, oculos ſuos cuſtodiat, ne vnquā vide at, & aures, ne audiat: quod cor eius maculet, prohibeat quoq; os ſuum ab omni inutili uerbo. Et ſi quid videt, vel audit, quod ad eum non pertineat; non ſe intromittat: neq; os ſuum inde loqui permittat. Cor etiam ſuum maximè coſtodiat, ne vnquā in malis cogitationibus delectetur: aut ſpōtè immoretur. Homo enim cogitationes cordi aduenientes prohibere non poteſt, ſed ne ipſis conſentiat, aut ſpontè admittat: facere poteſt. Obſeruet etiam diligenter omnia facta ſua, & quoties in aliquo deliquerit: nunquā cor eius quieſcat, donec veniam à domino poſtulet: & quàmprimum poſsit, illud confiteri proponat. Alia vice quùm attentius pro congregatione oraſſet, vt eam deus in ſuo ſeruitio omni tempore cuſtodiret, & ſuam gratiam in eis augendo, omnibus virtutibus florere, & in bonis faceret proſperari: tale à deo reſponſum accepit. Quandiu humilem in eis inuenio ſubiectionem prælatis ſuis, & inuicem humiliter & ſimpliciter obediendo, & virginalis caſtitatis candorem non ſolum tenendo, ſed etiam diligendo, et dulci gratitudine pro beneficijs gratias agendo, & eiſdem ſe indignas reputando, & amicabilem amorē conſeruando, vt non ſolùm deum ſyn

cero corde, ſed ſe etiam in vnione in deo inuicē diligant, & opera charitatis mutuò exhibeant: oculos meæ paternæ protectionis ab eis nunquā auertam: nec eas in ſuis neceſsitatibus derelinquam.

De tribus acceptis deo. Cap. II.

SIquis etiā acceptabile mihi munus offerre voluerit: in his tribus ſtudeat ſe exercere. Primum eſt, vt proximo ſit fidelis in omni eius neceſitate & anguſtia, omneſq; defectus eius & peccata (quantum poteſt) minuat et excuſet. Quod qui fecerit, ero ei fidelis in omnibus, quibus indiget, omniaq; peccata eius & negligentias tegendo: apud patrem meum excuſabo. Secundum eſt, vt homo in omni tribulatione ſua ad me ſolum confugiat, nulliq; moleſtiam ſuam conqueratur, ſed mihi ſoli omne grauamen cordis ſui cū fiducia pandat, hunc ego in ſuis neceßitatibus nunquā derelinquam. Tertium eſt, vt homo mecum in veritate ambulet, quē ego in extremis ſuis velut mater amantißimum filium, inter paternos amplexus meos ſuſcipiam perpetuò pauſaturum.

Qualiter homo deſponſationem ſuam renouet. Cap. III.

QVum vice quadam omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ recogitaret, ſcilicet, quã negligenter vixiſſet, & quòd deo in ſponſam conſecrata prærogatiuam illam peccatis ſuis maculaſſet: dixit ei dominus. Si tuã vis renouare deſponſationẽ, accede ad pedes meos, gratias agens pro veſte innocentiæ: quam tibi gratis contuli, orans, ut mea perfectiſſima innocentia quicquid in te inquinatum eſt: emundetur. Dehinc ad manus meas gratias agas pro omnibus operibus meis, quæ tibi promerui: & etiam pro tuis, quæ in te & per te operatus ſum. Exhinde in camino diuini cordis mei anulum fidei et amoris tui velut aurum in fornace probatum, reforma, eiuſdemq; gemmam in aqua & ſanguine cordis mei laua: vt inde valorem ſuum recipiat & decorem. Poſt hæc vidit in pœnis animam cuiuſdem religioſi, de quo quũm interrogaret, qu ur non eſſet in cœlo: dominus reſpõdit. Sapientiorem ſe ſuo prælato æſtimabat, & quicquid prælatus ſuus faciebat: non ei placebat, ſed ſe melius facturum putabat. Hoc maximum poſt mortem impedimentum ei fuit. Religioſus.n. nunquã adeò ſapiens eſſe poteſt, quin ſe prælato ſuo cum omni humilitate ſubijcere: & eius voluntati in omnibus bonis oporteat conſentire. Deinde uidit animam cuiuſdam conuerſi in magna claritate, eo

quod ſpeciali deuotione & diligenti ſtudio(vbicunq; poterat) ad altare ſeruiebat: & ſacerdotes cum omni miniſterio promouere ſetagebat.

Quomodo nouitiæ ſe habeant, & de profeſſione earũ. Cap. IIII.

BEnigna claritate, qua omnium ſemper memor erat, etiam pro nouitijs dominum orabat, vt eas in veræ religionis & ſanctitatis perfectione confirmaret. Pro quibus tale à deo reſponſum ac-
Leu. 26 cepit. Inambulabo in eis, et inhabitabo; & ipſæ populus meus erunt. Inambulabo per ſancta deſyderia & bonam voluntatẽ earum: & inhabitabo per amoris vnionẽ. Et ipſæ populus meus erũt, per bonã et laudabilẽ earũ conuerſationẽ: et eccleſiæ ſanctæ profectũ et augmentũ. Omnes.n. quos ſuis orationibus lucratæ fuerint, pro conuerſis orãtes, ut in melius proficiant: pro peccatoribus, ut cõuertantur: & omnes animæ, quæ earum precibus à pœnis liberabuntur: in numerum populi ſui cõputabuntur? In die autem quùm iterũ pro eiſdem oraſſet: dixit ei dominus. Orare me debent, ut dẽ ipſis oculos intelligentiæ, quibus me, & omnia eis ſalutaria videant, & verè agnoſcant. Vt dẽ eis aures obedientiæ ad omne imperium, et regulam, et ſtatuta, et prælati ſui voluntatem paratas. Os

quoq; ſapientiæ, quo orationes et laudes meis ſemper proferre: & quæ proximis congruunt, docere ſciant. Poſtulent etiam cor amans ſibi dari, quo me, & omnia in me et propter me purè diligant. Manus inſuper bonæ operationis, ut omnia opera intentè & ſtudioſè faciant: et perfectam in omnibus humilitatē habeant, nulli ſe cōparantes: et nullum omnino ſpernentes. Quùm verò litania fieret pro eis. Vidit beatam virginem, & deinde ſingulos ſanctos, qui ibi nominabantur, flexis cum reuerentia genibus pro ipſis dominum orare. Et dū profeßionē facerent: dominus Ieſus eas in amplexus amātißime ſuſcepit, porrigēs ſingulis dexteram ſuam in adiutoriū voti earum: et protectionem à malis. Accedentibus etiam ad ſanctam cōmunionem, dulcißimum oſculum ſingulis infixit, in quo vnum cum ipſo fœlici vnione ſunt effectæ. Vnde intellexit, quod dominus in die profeßionis cuiuslibet religioſi aut religioſæ, ipſum aut ipſam in paternū ſuſcipit amplexū, à quo nunq; eū aut eā dimittit: donec homo (quod abſit) voluntaria deliberatione obedientiæ contradicat. Tunc quaſi ſubtrahit ſe dexteræ dei, cui de cætero non poterit adunari: donec per uerā pœnitentiam, ac dignā ſatisfactionem ſe humiliter deo proſternat: votum deinceps libenter obediendi firmiter pollicendo.

Quòd bona ſit oratio cōmunis. Cap. V.

IN quadam clauſtri neceſsitate, dum conuētus pſalterium, quod legerat, huic Chriſti famulæ
1Cor. 13 deo offerendum cōmitteret: dixit angelo ſuo. Eya dilecte angele, tu qui cognoſcis, ſicut & cognitus es: (ego autem cognoſco ex parte) hanc rogo orationem regi tuo, cui in decore & delitijs aſsiſtis: repræſenta. Cui angelus. Ego plus gaudeo, quod tuam legationē deo meo habeā præſentare: quam unquam aliqua mater de honore & diuitijs vnici filij ſui potuit exultare. Et quum domino præſentaſſet: ait dominus. Quot perſonæ hanc orationem perſoluerunt, toties oculis miſericordiæ meæ eas reſpicere volo: et aures clemētiæ meæ eis inclinare.

Qualiter Dominus Ieſus defectum hominis de ſuo ſupplet. Cap. VI.

ORabat hæc dei famula pro quadam perſona, quæ mœrorē cordis ſui ei cōqueſta fuerat, quē ideò patiebatur: quod deum minus diligeret. Vnde & ipſa in magnam incidit triſtitiam, reputans ſe per omnia inutilem: quæ deum pro tantis ſibi collatis beneficijs nequaq; (ut dignū fuerat) diligeret. Cui dominus reſpondit. Eya dilecta mea noli mœrere, omnia. n. mea tua ſunt. Ad quod illa. Si verè omnia tua mea ſunt: ergo et amor tuus meus

eſt, hũc igitur amorẽ tibi offero, ut per ipſum omne quod mihi deeſt, ſuppleã. Quod dominus gratãter acceptans: ait. Optime ſic facis. Et quùm me laudare cupis, nec pro tuo deſyderiò illud implere uales: ita dicas. Ieſu bone laudo te, & quicquid minus eſt in me: rogo, ut ſuppleas pro me. Quùm uero amare me delectat te: ita dicas. Ieſu bone amo te, & quicquid minus eſt in me: rogo, ut cordis tui amorem deo patri offeras pro me. Et dicas perſonæ, pro qua oras: ut ipſa ſimiliter facias. Et ſi milies in dei replicando, taliter rogauerit: ego toties pro ea me patri offeram, quia nullo modo laſſari, aut tœdio affici poſſum.

Quid homo in triſtitia ſua faciat. Cap. VII.

ITem, quúm oraret pro quadam perſona in triſtitia exiſtente; hoc à deo reſponſum accepit. Legat ſæpe hunc verſum. Benedictus es adonai in dan. 3.
firmamẽto cœli, et laudabilis et glorioſus et ſuper exaltatus ĩ ſecula. Et ſi aliquãdo ĩcidat mẽti eius, ut cogitet ſe nõ pertinere ad electos: faciat more hominis, qui eſſet ĩ ualle tenebroſa qui ſi uideret ſolẽ libenter de valle ĩ montẽ aſcẽderet: et ſic tenebras euaderet. Sic et ipſe, quùm inuoluitur in tenebris triſtitiæ, aſcendit in montem ſpei: & oculis fidei

aſpiciat me cœleſte firmamentum, cui omnium electorũ animæ uelut ſtellæ ſunt infixæ. Quæ ſtellæ licet peccatorum nube, et nebulis ignorantiæ interdum obtenebrentur: ĩ firmamento tamen ſuo ideſt ĩ mea diuina claritate obſcurari non poſſunt. Quia licet electi magnis quandoq; inuoluantur peccatis: ſemper tamen illos in ea reſpicio charitate, in qua eos elegi, & in illa, ad quam peruenturi ſunt, claritate. Vnde bonum eſt homini, vt ſæpius cogitet, quàm gratuita bonitate ipſum elegi, q̃; miris et occultis iudicijs ĩ peccatis exiſtentem pro iuſto homine reſpexi, et q̃; amanter de ipſo cogitans, omnia etiam mala ſua ipſi in bonum cõmutaui, & benedicat me æternã firmitatem omnium electorum; et dicat. Simul benedicant te domine omnes angeli et ſancti tui. In hoc autem uerbo. Benedicant te omnes angeli & ſancti tui: deſyderet omnes ãgelos et ſanctos ſecũ pariter me collaudare

Qualiter homo grauamina ſua deo committat. Cap. VIII.

ITem quùm pro alia perſona oraret: hoc à deo reſponſum audiuit. Quùm homo grauatur, ad pedes meos ſe proſternat, ibiq; onus ſuum mihi cõmittendo deponat: legatq; orationem. Reſpice domine ſancte pater ſuper me famulum tuum, pro

quo dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium: & crucis ſubire tormẽtum. Orans, vt oculis miſericordiæ ipſum reſpiciam, illuminando animam eius, vt agnoſcere valeat ad quid & ex quanto amore hoc ipſi euenire permiſerim: quatenus ad laudem meam hæc & omnia ſibi aduerſantia ſufferat patienter. Dehinc ad manus meas veniat, legendo reſpõſum. Emitte domine ſapientiã de ſede magnitudinis tuæ, ut me cũſit, et mecũ laboret: ut ſciã quid acceptum ſit corã te omni tẽpore. Sap. 9 *Orans, ut diuina ſapientia cooperatrix & adiutrix eius ſit: quatenus illud grauamẽ ad dei gloriã, ad utilitatẽ ſuam, et ad fructum vniuerſorum valeat tolerare. Exinde ad cor meum accedat: legendo. O mirum circa nos et admirabile precium, orans, vt per amorem cordis mei, quo omnium hominum onera portaui: faciam eum onus triſtitiæ ſuæ cũ gratitudine amãter ſuſtinere.*

Qualiter homo in tribulatione ſe deo offerat. Cap. IX.

ALia vice quùm pro vna perſona oraret, quæ certificari deſyderabat, ſi cum deo ſemper permanſura eſſet: vidit animam eius coram domino flexis genibus, cor ſuũ ei propinantem, in modum calicis duas anſas habentis: voluntatem & deſy-

derium figurantes; quibus illa cor ſuum deo offerebat. Et ait dominus. Quùm homo grauatur, ſi in ipſo initio grauamẽ illud mihi porrigeret, ego quùm inde biberem: ex ore meo tantam dulcedinem ori eius inſtillarem, vnde in tantum nobilitaretur; vt nunq̃; de cætero poſſet perire. Sed quùm homo inde prior bibit; inficit illud, et quo plus bibit; eo magis amaricatur; vt iam me inde bibere non deceat: niſi pœnitentia & confeſſione purgetur. Quod ſic intelligitur. Quùm homo triſtatur, ſtatim grauamen ſuum deo offere deberet: et tunc ipſe dulcedinem ſuæ conſolationis ipſi immitteret, & ad patientiam animaret, nec unquam permitteret grauamen illud homini abſq; fructu deperire, ita quod ſi contingeret homini poſt modũ ex ſua fragilitate illud reſumere, inde ſcilicet cogitando, vel loquendo: id quàm citiſsimè pœnitentia deleretur. Sed quùm homo grauamen ſuum ipſe vult portare: labitur in impatientiam, & quo plus tractat, nunc inde loquendo, nunc cogitando: eó grauius & amarius inde affligitur. Et quùm poſt modum ad ſe redit, iam illud deo offerre non audet: quia nec illũ decet. Attamen adhuc non diffidat, qui taliter agit, ſed confeſsione & pœnitentia illud purgatum, humili ſpiritu et corde contrito deo ſtudeat offerre. Poſt hæc perſonã

illam dominus benignè amplexatus eſt: dicens. Nemo tollet à me animam tuam. Benedixit etiã eam: dicens. Diuinitas mea benedicat, te humanitas mea confortet te, pietas mea foueat te, amor meus conſeruet te. Item orauit pro alia quadã perſona: dicens. Dulciſſime deus oro te vt in extremis eius des illi prægustationem æternæ vitæ ſcilicet ſecuritatem nunquam à te ſeparandi. Ad quod dominus. Quis nauta bona ſua, quùm in portum deducta eſſent, ſponte in mare proijceret? Sic animam eius, quam ab infantia in religionis propoſito elegi, cuius manum dexteram tenui, & in voluntate mea deduxi, quùm de ea ſecundum beneplacitum meum diſpoſuero: etiam cum gloria mihi aſſumam. Pſ. 72.

Quod quicquid anima deſyderat: in dei corde requirat. Cap. X.

ROgata orabat dominum pro vna perſona, vt purum, humile, deſyderans et ſpirituale cor illi daret: pro qua tale reſponſum accepit. Omnia quæ vult, & omnia quibus indiget, in corde meo requirat: & à me ſibi dari poſtulet, more pueri, qui à patre ſuo omnia, quæ deſyderat: petit. Quùm enim puritatem deſyderat: ad meam innocentiam recurrat Quùm vult humilitatem: de mea eam aſ

ſumat. Deſyderium etiam ſuum: de meo ſuppleat. Et amorem meum cum religioſa & tota diuina cõuerſatione mea ſibi fidenter vſurpet. Tunc illa. Mi domine, rogo vt in extremis eius miſericorditer cum illa agas: dans illi certitudinem tecum manendi. Ad quod dominus. Quis ſapiens aurum cum labore acquiſitum, & ſibi dilectum proijceret ac perduceret? Ego omnia humana eius in mea humanitate ſanctificaui, et omnia ſpiritualia eius in meo ſpiritu ĩ baptiſmo viuificaui: & eam àmodo in æternum non derelinquam.

Qualiter homo negligentias ſuas cum laude ſuppleat. Cap. XI.

ITem dum pro quodam tribulato oraret, vidit ipſum ſtantem coram domino: & dominum dicentem. Ecce huic omnia peccata ſua dimitto: ipſe verò peccata & negligentias ſuas cum laude ſupplebit. Inter præfationem, ad hoc verbum. Per quem maieſtatem tuam laudant angeli. Laudet me in vnione illius ſuper cœleſtis laudis, qua veneranda trinitas inuicem ſe laudat et laudatur, & effluit in beatam virginem, et deinde in omnes angelos & ſanctos, legatq; ſemel pater noſter, quod offerat in vnione laudis, qua cœlum, & terra, & omnis creatura me laudat & benedicit.

Orans per me Ieſum Chriſtum filium dei orationẽ ſuam acceptari, per quem omne, quod deo patri offertur: ĩ ſumma aſcendit placentia, ſicq; omnia illius peccata & negligentiæ per me ſupplebũtur. Siquis etiam ita fecerit: piè credat eandem ſe gratiam percepturum. Quia vt ait dominus. Impoſibile eſt hominem non conſequi, quod credidit et ſperauit. Item quùm pro alio quodam tribulato oraret: hoc à deo reſponſum accepit. Tres vias in hoc mundo ambulaui, per quas quicunq; me perfectè imitari voluerit: ſequi oportebit. Prima: erat arida & anguſta. Secunda: florida, et fructiferis arboribus conſita. Tertia: ſpinis & tribulis erat plena. Prima itaq; via: eſt voluntaria paupertas: quã omnibus diebus vitæ meæ in ſummo tenui & dilexi. Secunda: eſt virtuoſa et laudabilis conuerſatio mea. Tertia: dura & aſpera paſsio mea. Itaq; omnis, qui me ſequi voluerit, oportet primo, vt paupertatem amplectens: nihil in hoc mundo cupiat poſsidere. Secundo, conuerſationem laudabilem teneat. Tertio, pœnas & tribulationes pro amore meo libenter ſuſtineat. Item quùm oraret pro quodam contriſtato, dixit ei dominus. Siquis ita triſtatur, vt videatur ei, quod libentius moreretur, q́; illam perferret triſtitiam: quoties grauamen illud mihi obtulerit, proponens

de cætero in eo velle durare quandiu mihi placuerit, toties oblationem illam ſuſcipiam: ac ſi pro me paſſus eſſet.

Quomodo deus ſe cum anima veſtit, et de effectu gemituum. Cap. XII.

SOror quædam dum ī feſto quodam ægrotaret, hæc Chriſti virgo dominū pro infirma orauit, pie ei conquerens quod dilectricem ſuam, quā tam feruenter ſibi aſsiſtere in choro ſciret: ſineret īfirmari. Cui dominus. Et quare nō licet mihi (quùm voluero) cum dilecta mea tripudiare? Quùm enim homo infirmatur, induo me anima eius ſicut veſtimento decoris, et ſic in iucunditate cordis mei aſſiſto patri meo, gratias agens et laudans pro omnibus pœnis, quas ſuſtinet homo ille. Et adiecit. Quicunq; deſyderat, ut anima eius me veſtiam: mane quùm ſurgit, toto corde ad me ſuſpiret, deſyderans ut omnia opera ſua die illa in eo operer, ſicq; per gemitum me ſibi intrahens: erit veſtis mea. Et ſicut corpus viuit et regitur ex anima: ſic anima ex me viuens: omnia per me operatur. Dixitq; iterū dominus. Magni effectus ſunt gemitus, ita ut nunq; homo ad me ingemiſcat: quin ei proximior fiam, quam fuerim antè. Gemitus enim, qui ex amore & deſyderio mei, ſiue gratiæ meæ

prouenit, tria bona in anima operatur. Primũ eſt, quod animã fortificat ſicut bonus et ſuauis odor, qui hominem reficit & confortat. Secundum eſt, quod ipſa illuminat, ſicut ſol domum ante a tenebroſam. Tertiũ eſt, quod eam dulcificat, ut omne, quod agit, ſiue patitur: magis ſibi ſapiat. Gemitus vero, qui ex contritione prouenit, velut bonus legatus animã deo reconciliat, gratiã reo impetrat: & conſcientiam turbatam ſerenat. Tunc illa intra ſe cogitabat, quomodo fieri poſſet quod dicitur, peccator quacunq; hora ĩgemuerit, iniquitatum eius non recordabor; quum adhuc peccata ſua eum confiteri oporteat: niſi vera neceſſitas confeſſionẽ excludat. Ad quod dominus reſpondit. Quum aliquis pro reo intercedit, non ſtatim reus ille ante faciem domini ſui accedere præſumit, niſi prius à ſordibus ſe emundet: & veſtibus mundis ſe induat, ſic & de peccatore, quem licet in gratiam meam ſuſceperim: decet tamen eum ſordes ſuas detergere: & decore virtutum ſe veſtire. Eze.18.33

Quod homo ad deum recurrere debet ſicut puer ad patrem ſuum. Cap. XIII.

Alia quoq; vice orabat pro quadam ſcire cupiente, quid deus ab ea maxime vellet: pro qua

tale reſponſum accepit. Ipſa (inquit) ſe habeat ad me ſicut puer, qui patrem tenere diligit, et ſemper ad ipſum, ut aliquod illi det: recurrit, cui quicquid pater dederit, ex affectu, quo ipſum diligit: pro magno et charo habet. Sic et illa ad gratiam meã anhelet, et omnia, quæ ei dedero: nunquam parua reputet, ſed ex amore cum magna gratitudine ſuſcipiens: pro ſingulis gratias agat. Secundo, habeat ſe ſicut ſponſa, quæ nec pro diuitijs nec pulchritudine aut nobilitate, ſed ex amore ſolo eligitur, adamatur, & ad regnum decoris promouetur. Eiuſmodi ſponſa fidelior et feruetior ĩ amore iure inuenitur, et ſi quid propter regem ſuum ſuſtinere oportuerit: maiore patientia tolerabit. Sic et illa ſemper cum gratitudine memoretur, q̃ gratuitò eam elegi ante mundi conſtitutionem, quam charo mei ſanguinis precio eam redemi, inſuper ad ſpecialem amorem et familiaritatẽ meam uocaui. Tertiò, habeat ſe ſicut amicus ad amicum, qui omnia, quæ amici ſui ſunt: ad ſe pertinere putat. Sic & ipſa in omnibus dei gloriam quærat, & (quantum poteſt) promoueat. Et quæ contra deum ſunt: nullo modo fieri æquo animo patiatur. In omnibus autẽ his, ſi quando aliquid eorũ, quæ deſyderauit, non conſequitur, aut aſſueta gratia, ſiue conſolatio diuina ſibi ſubtrahitur: non conti-

nuò contriſtetur, nec id pro indignatione fieri, aut ſe derelictam à deo exiſtimet, quia fidelis pater nequaquam filio, ſi ea petierit, quæ ſibi non conueniunt: tribuit. Et ſponſus quandoq; ſerium ſe ſpōſæ exhibet non ex indignatione; ſed pro eius inſtructione, ſic & deus animæ fidelitatem cupit experiri, non quod ipſe eam neſciat: ſed vt eam coram omnibus ſanctis comendabilem reddat. Item de alia quadam dominus ait. Tribus modis ſe ad me habeat. Inter homines, habeat ſe ad me ſicut catellus, qui ex fidelitate ſua, etiam ſæpius expulſus: iterum dominum ſequitur. Sic & ipſa quùm inter homines aliquando verbo læditur, non ſtatim per impatientiam effugetur. Quod ſi quandoq; acciderit: mox per pœnitentiam redeat, confidens de mea miſericordia, quod etiam per vnicum gemitum omnia ei remittam. In choro & in oratione, habeat ſe ad me ſicut ſponſa ad ſponſum: per amorem & dulcem familiaritatis exhibitionem. Quùm verò cōmunicatura eſt: habeat ſe ſicut regina ad regem ſuum. Regina enim in conuiuio regis ſui, liberalis eſt, largitur dona & eleemoſinas erogat. Sic & ipſa bona à ſuo rege ſibi donata, omnibus indigentibus liberaliter tribuat: & ſuis orationibus ſubueniat.

De lacrymis. Cap. XIIII.

QVadam vice quùm pro quadam oraret, vidit animam eius in dei corde velut infantulũ ſtare: & cor dei in manibus ſuis tenere. Et ait dominus. Sic in omni tribulatione ſua ad me veniat, & ſe ad cor diuinum teneat: quærens ibidem ſolummodo conſolari, tunc eam in æternum non derelinquam. Et dices ei, quod lachrymas aliquando inutiliter effuſas, lachrymis meis apponat, dolens quod pro peccatoribus et ex amore eas non effuderit, tunc eas lachrymis meis vnitas patri meo in laudem (prout voluerit) præſentabo. Et quia ego humilis fui & obediens, ſtudeat & ipſa humiliter ſe omni creaturæ ſubijcere: & ſi opus fuerit, vſq; ad mortem obedire. Hæc talis virtus ex vnione meæ virtutis nobilior erit, quam mille virtutes: quæ tali intentione non ſunt peractæ. Quædam alia plurimùm grauabatur eo, quod à lachrymis ex quadam infirmitate ſe temperare nequibat, pro qua dum hæc oraret: ait dominus. Dic ei, vt roget me, quatenus propter bonitatem meã omnes illas lachrymas, quas effudit, cõmutem, ac ſi eas ex amore & deuotione, ac contritione peccatorum effuderit. Et quantum mihi & bonitati meæ crediderit: tantum in ea complebo. O mira et ſtupenda diuinæ pietatis dignatio, quæ

tam liberaliter per tales, tantaſq; conſolationes dignatur miſeris ſubuenire. Quiſquis has legis, vel audis conſolationes, conſulo tibi: vt etiã tibi vſurpes, quia et hoc deus illi reuelauit, quod multum ei ſolet complacere, ſi quod vni fecerit: alter hoc ſibi factum, ſiue faciendum vendicauerit.

Conſolatio cuiuſdam contriſtatæ.
Cap. XV.

Qvum quedã nimis cõtriſtaretur: hæc Chriſti ancilla compatiens ei, deuotè orabat pro ea: vt pius dominus per ſpiritus ſancti conſolationem, ipſi dignaretur ſubuenire. Ad quam dominus. Et quur turbatur? Ego creaui eam mihi: et dedi me et ad omnia, quæ requirit à me. Ego ei pater: in creatione, ego mater: in redemptione, ego frater: in regni diuiſione, ego ſoror: in dulci ſocietate. Item quum quædam ab alia contriſtata ipſi turbationem ſuam indicaſſet: pro ea dominum interpellabat. Cui dominus. Dic illi, vt det mihi ſuos inimicos, & ego dabo ei meipſum cum omnibus ſanctis in æternam mercedem. Itẽ quum pro alia oraret: hoc reſponſum accepit. Ego eam ſine intermiſſione ſubſequor. Et quum per pœnitentiam, ſiue deſyderium, vel amorem ad me conuertitur: ineffabiliter gaudeo. Debitori enim mã

lus gaudium nullus facit, quam qui ei theſaurum quo ſe abſoluat, tribuit. Ego verò me quodammodo patri meo debitorem conſequi: quùm prò hominis culpa me ſatisfacere ſpopondi. Ideóq; nihil deſyderabilius & iucundius mihi duco: quã vt homo per pœnitentiã & amorẽ ad me reuertatur.

Quòd deus deſyderat conuerti peccatores. Cap. XVI.

QVùm oraret pro quodam afflicto, quem ſciebat eſſe in ſtatu non bono, indignatione aduerſus eum mouebatur, eo quod hominem illum ſalutaribus verbis ſæpius corripuerat: ſed ille adhuc quaſi incorrigibilis permaneret. Tunc ait illi dominus. Eya condole mihi, & ora pro miſeris peccatoribus, quos tam charo emi precio: & tantopere ad me conuerti cupio. Orans etiam aliquãdo, vidit dominum in veſte ſanguinea: qui dixit ei. Sicut in humanitate mea tota cruore perfuſa ineffabili amore deo patri acceptiſsimam hoſtiam in ara crucis me obtuli: ſic adhuc eodem amoris effectu aſsiſto eidem deo patri pro peccatoribus, omnia paſsionum mearum genera ei repræſentans. Et hoc mihi maximè deſyderabile eſt: vt peccator per veram pœnitentiam ad me conuertatur et viuat. Alia vice quùm offerret deo .460. pa-

ter noſter, perlecta à congregatione in honore ſanctiſsimorum vulnerum Chriſti, apparuit ei dominus expaſsis manibus, & omnibus vulneribus apertis: dicens ad eam. Quùm penderem in cruce, omnia vulnera mea patebant, & ſingula vocem ad deum patrem emittentia pro hominis ſalute interpellabant, & ſic vſq; hodie clamore quodam, dei patris iram mitigant peccatori. Et hoc dico tibi, quod nunquam mendicus adeò potuit lætificari accipiendo eleemoſinam, quam importunis clamoribus acquiſiuit, ſicut ego exultans accipio orationem, quæ mihi in honorem vulnerum meorum exhibetur. Et hoc quoq; dico, quod hæc oratio nunquã pro aliquo deuotè legi poterit: quin ei obtineatur ſtatus ſalutis. Tunc illa ait. Mi domine, & quæ eſt intentio, in qua tibi vis legi? Qui reſpondit. Vt homo non ſolùm ore, ſed etiam corde verba intente proferat, & ſaltem poſt quinq; pater noſter, mihi ipſa comendet, dicens. Domine Ieſu Chriſte fili dei viui, ſuſcipe hanc orationem in amore illo ſuperexcellenti, in quo omnia uulnera tui nobiliſsimi corporis ſuſtinuiſti, & miſerere mei, & omnium peccatorum, cunctorumq; fidelium tam viuorum quã defunctorum. Dixitq; iterum dominus. Peccator quãdiu in peccatis eſt, me velut in cruce diſtentum vinculat, ſed

mox quum per pœnitentiam ad me conuertitur: continuò me abſoluit. Et ego cum gratia & miſericordia mea, quaſi de cruce ſolutus, totus ſuper eum ruo, ſicut olim ſupra Ioſeph, quum me de cru-
Ioan. 19. ce ſolueret; cecidi; meq; ipſum totum in poteſtatē eius do, vt de me omnia, quæ voluerit: facere poſſit. Quòd ſi in peccatis vſq; ad mortem perſeuerauerit: iuſtitia mia ſuper eum poteſtatem habebit, quæ tunc eū(prout meruit)iudicabit. Alia vice dixit ei dominus. Qui pro captiuis ſiue in corpore ſiue ī peccatis vtiliter orare voluerit: oret me per amorē, qui me in vtero virginis matris meæ nouē mēſibus captiuum tenuit. Secundò, qui me pannis & faſcia conſtrinxit. Tertiò, qui me vinctum in manibus impiorum tradidit. Quartò, per vincula, quibus me Iudæi vinctum tradiderunt in manibus Iudicis. Quintò, per vincula, quibus columnæ in flagellatione alligatus fui. Sextò, per clauos, quibus cruci affixus fui. Septimò, per constrictionem, qua mortuus ſyndone fui inuolutus & ſepulchro incluſus, vt per illum amorem ij, qui in vinculis quibuſcunq; , ſiue peccatis ſunt: ab omnibus abſoluantur.

Quòd deus paratus ſit recipere pœnitentes. Cap. XVII.

LAborans aliquandiu graui capitis dolore, quùm die quadam inter miſſarum ſolennia ; ipſum dolorem circa oblationẽ hoſtiæ, cum eadem hoſtia ſacroſanĉta domino in laudem æternam offerret : protinus apparuit ei dominus tenerus ĩ manibus ſuis delicatis circulum quendam ligni aridi, circa quem roſas pulcherrimas connectere videbatur. Et dum illa ſuper hoc miraretur : audiuit dominum dicentem. Per hoc intelligas deſignari, quod nullius vnquam peccatoris cor ex peccatorũ rubigine adeò aruit, ſi aliquem dolorem vel infirmitatem corporis quamuis etiam paruam perſtulerit tali intentione, quod pro amore & laude nominis mei, maiorem libenter ſuſtinere proponeret (ſi id mihi placeret) quin ipſa hora ex tali deliberatione reuireſcat, ac gratiæ meæ diuinæ ex tunc capax efficiatur. Item addo, quod nullus peccator adeò magnus eſt (ſi verè pœnituerit) quin ipſa hora illi omnia peccata ſua plenè dimittam, ac cum tanta clementia & dulcedinè cor meum ſuper ipſum reclino : ac ſi nunquã peccaſſet. Tunc illa. Si ita eſt, quid eſt dulciſſime deus, quod miſer homo hoc minimè ſentit? Cui dominus. Ex eo eſt, quòd interiorem peccati guſtam nundum amiſit. Verbi gratia. Si homo poſt pœnitentiam tam fortiter vitijs reſiſteret, vt omnem peccati guſtũ

namina noſtra ineffabili cordis ſui fidelita- & protegens nos a cunctis malis. Ad hunc etiam digitum tuum adiungas, agnoſcendo quantam infidelitatem dulciſſimo & fideliſſimo amatori tuo exhibueris, elongans ab eo animam tuam, quam ſibi in laudem et amorem creauit, ut eo ſolo in æternis perfrueretur delicijs, recordando etiam, quàm rarò & quàm tepidè eius memoreris. Eius medius digitus ſignificat æternum, altiſſimumq; diuinum amorem eius, qui eum tam mirabiliter et tam efficaciter animæ inclinat, nec eius cor quieſcere ſinit: donec ſe totum animæ infundat, velut aqua effluens cum impetu: & quærens in quod ſe transfundat. Ad hunc etiam digitum tuum apponas ideſt tuam voluntatē, videlicet ſi eum omni hora non potes amare: da voluntatem pro facto ita, quod ſi omnium ſanctorum, omniumq; creaturarum amorem habere poſſes; tu ipſi in ſolum dirigere velles. Index eius ſignat mirabilem & inſcrutabilem diuinæ prouidentiæ ordinationem, qua omnia hōim futura miſericorditer præuidet et quàm deuiat, quanta ſapientia et dignatione eum reuocat, quandoq; proſperis, quandoq; aduerſis, huic digito libenter tuum apponas ideſt vt omnino ei credas, quod omnia, quæ tibi eueuerint ſiue læta, ſiue triſtia, ex tanto amore eius, & ad

tis, Chirotechas etiam in manibus tam altè perforatas habuit: vt nihil omnino retinere poſſet, quin omnia tibi traderet: quæ tot annis mundo abſconderat. Nobilis thorus eius, dura crux eius erat, quam tam gaudenter, & tam ardenti amore inſilijt: quod nunquã ſponſus in lecto eburneo & ſericeo tantùm eſt oblectatus. In hoc amoris lectulo te adhuc expectat, inæſtimabili æſtuans deſyderio: donec amplexibus tuis perfruatur. Quòd ſi nunc eſſe volueris ſponſa eius: oportet, vt omni prorſus delectationi abrenuncies, & ad ipſum in lectulum doloris eius, in quo eum collocauit amor, accedas: coniungens te lateri eius amore vulnerato. Et conſydera diligenter, quale & quã precioſum pignus tibi depoſuit, quùm prædulce cor ſuũ, diuinitatis ſcilicet gazophilacium tibi aperuit, propinans tibi inde præclarum amoris poculum: quod ſanat omnes animæ tuæ languores. Hoc præ nobile pignus impreciabilis põderis eſt: quia omnis gratiæ, omnis virtutis, omniſq; boni eſt contentiuum. Hoc inquã pignus tibi auferre non vult: quia per hoc fidem ſuam confirmauit, ſicut rex, qui ſponſam ſuam nundum perduxit in domum ſuam, vrbem aliquam diuitijs plenam, amicis ſuis in pignus depoint. Sic ſponſus amator tuus deo patri precioſiſſimam domum, diuinum, ſcilicet cor

ſuum in pignus dedit, quod te ſponſam ſuam nunquã deſerere velit, offerens etiam illud quotidie in altari pro te, in exhibitionem amoris: quo te ab æterno præuenit. Ergo æterni patris filia, eiuſq; vnici & coæterni filij ſponſa prælecta, amicaq; ſpiritus ſancti, & requies deſyderata, dilige tã præcordialem dilectorem, à quo dilecta es, qui & totus amor eſt. Eſto fidelis ei, qui ipſa fidelitas eſt, & quùm aliquid tibi moleſtum occurrerit, ſuſcipe illud, ac ſi vinculum aureum ſit, quod deus ipſe circũpoſuerit tibi; quo te ad filij ſui trahat amorem. Tunc autem ſtatim conſentiens, ad tractum illum te totam eleua, & cor tuum vt magis trahatur, per gratitudinem & patientiam habilita, diligenter attendens, quam deus per hoc velit in anima tua operari ſalutem. Conſydera etiam, quid deſiit tibi in virtutibus. Quòd ſi indiges humilitate, aut alia virtute, reſera tibi claue amoris precioſiſſimum omnium uirtutum ſcrinium, cor ſcilicet Chriſti diuinum, orans dominum virtutũ, vt virtutes ſuas nobiles det tibi in auxilium, quibus deuincas vitiorum omnium tentamentũ. Quòd ſi latrunculi malarum cogitationũ tibi irruerint, recurre ad armarium, aſſumens inde præclariſſima arma idest domini tui paßionem & mortem, quam tàm validè per iugem memoriam cordi tuo

infigas: vt omnis inde cogitationum turba annihi lata ſugetur. Quùm vero deſperationis cogitatio ne impugnaris, curre ad ſcrinium inexhauſtæ di uinæ pietatis, quæ nullum vult perire, ſed ad agni tionem & amorem veritatis venire, exceptis ijs, qui ſponte eligunt damnari, recolens, quod deus paratior eſt hominem ſuſcipere: quàm ipſe venire. Et hoc maximè deus deſyderat, vt homo talem ſe ei exhibeat, vt gratiam ſuam ſine intermiſsione illi infundere valeat: & quælibet bona in eo ſem per augmentet. 1 Tim. 2.

Alia epiſtola.

AMator hominum dominus Ieſus deſyderio de ſyderat animam ſibi vniri, ſpecialiter illam, quæ vult ab eo conſolari, eiuſq; delicias cupit ex periri, vt omnem conſolationem, ſiue delectatio nem creaturarum abijciat, quæ ipſam ad dei amo rem non allicit, aut impellit. Quùm enim homo ali quid habet, quod diligit, aut quo delectatur: co gitet apud ſe, quia deus hoc illi donauit, vt ad ſui amorem exinde promoueatur. Quòd ſi ſentit ſe in amore dei ex hoc non proficere, ſed illud, quod di ligit, ſæpius cordi ſuo q; deum aduenire: debet il lud amouere, ſiue homo ſit, ſiue alia creatura: ſi dei familiaritate non vult carere. Quia delicata

valde eſt illa familiaritas, nec omnino patitur, vt ſupra ſe, aut etiam ſecum aliquid habeatur. Ipſe enim paternæ charitatis filius, ſolus vult eſſe amãtiſsimus & intimus cordis tui. Deus cor ſuum diuinum donauit animæ, vt ipſa cor ſuum viciſsim illi donet. Quod ſi gratanter & fiducialiter fecerit, ipſum potentia ſua ſic continebit: vt homo ille nunquã ad magnum valeat declinare peccatum. Cordis etiam dei ſtudioſus ſit homo, conſyderando attentius, quid ei maximè complaceat. Et quùm triſtatur, ſtatim ad theſaurum ſibi cõmiſſum fidẽter confugiat: quærens ibidem conſolari. Quòd ſi diuina diſponente ſapientia, non conſolatur, nihilominus deum ex corde gratias agendo laudet, quod deo in anima fideli multum complacet, quæ non ſua, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærit: nec ſuam conſolationem diuino præponit beneplacito.

Spiritualis gratiæ libri quarti
FINIS.

INCIPIT SPIRITVALIS GRATIAE LIBER QVINTVS.

In quo agitur de animabus defunctorum.

De quadam ſorore infirma. *Cap. I.*

EXIMIAE pietatis, hæc Chriſti virgo ſuper afflictos pia geſtans viſcera, ſicut viuorum ſemper memor extitit ante dominum: ita etiam animabus defunctorũ ſuis deuotis orationibus ſtuduit ſuffragari. Vnde factum eſt, vt non rarò quùm etiam pro animabus oraret dominum, quæ orationis ſuffragio non indigebant: earum meritum & gloriam pius & miſericors dominus eidem demonſtraret. Soror igitur quædam poſtquã omnibus diebus vitæ ſuæ in ſancta religione deo ſeruiuiſſet, cœpit infirmari, pro qua dum iſta deuotiùs dominum inuocaret, vidit animam eius quaſi coràm domino genua flectentem, & dominum roſea vulnera ſua eidem oſtendentem: quæ illa hoc verſu, quem antea nunq̃; audierat: ſalutabat. O Salutifera vulnera dulciſsimi amatoris mei Ieſu Chriſti. Saluete, ſaluete, ſaluete in omnipotentia patris, qui vos

dedit. In ſapientia filij, qui in vobis ſuſtinuit. In benignitate ſpiritus ſancti, qui in vobis opus noſtræ redemptionis perfecit. Quùm verò olei ſacrati percipere deberet vnctionem, vidit duos angelos peluim portantes. Per aquam, quæ erat in pelui, deſignabatur miſericordia & veritas, in quibus anima lauari debebat ab omnibus maculis.

Pſ. 88. Iuxta illud. Miſericordia & veritas præcedēt faciem tuam: Dominus autem iuxta infirmam ad locum ſacerdotis ſe ponebat: & beata virgo Maria ad caput reſidebat. Et dum ſacerdos litaniam legeret, dominus eā ter ſigno crucis ſignabat: dicens. Ego benedico te in ſanctificationem & ſanitatem animæ & corporis. Quùmq; nominaretur virgo Maria, ipſa erexit infirmam: dicens. Ecce fili, hanc ſponſam tibi do: perpetuò amplexandam. Singuli quoq; ſanctorum dum nominarentur, flexis genibus pro ea dominum rogabant. Finita autem vnctione, dixit dominus matri ſuæ. En iſtam tibi cōmendo, quam repræſentes meo cōſpectui immaculatam.

De anima Domini Bernardi fundatoris. Cap. II.

IN anniuerſario quodam piæ memoriæ Domini Bernardi fundatoris noſtri, quùm pro ipſo miſ

ſa celebraretur: hæc dei ancilla vidit animã eius coram deo ſtantem, & in veſte eius, totius congregationis, quam ipſe fundauerat, imagines pulcherrimæ apparebant, tam earum, quæ iam in cœleſtibus regnant: q́; earum, quæ illuc ſunt peruenturæ. In corona quoq; eius, tot aureos flores habebat, quot in eodem cœnobio animas fuerat lucratus deo. Duæ etiam Abbatiſſæ, quæ idem cœnobium rexerant, vna à dextris, & alia à ſiniſtris eius in gloria ſtabant: quibus dominus verbis valde dulcibus gratias egit, quod de ouibus eis commiſſis: nunq; aliqua periiſſet. Illa verò, quæ hæc videbat: dixit ad dominũ. Et vnde domine mi, promeruit hæc anima, vt hanc voluntatem tam grandis, tibiq́; tam laudabilis operis ſibi inſpirares? Reſpondit dominus. Benigni cordis erat: et homo beneuolus: & quicquid peccauit, non tamen næquiter aut malicioſè fecit, ideò hanc ſalutis viam illi mea ſapientia adinuenit. Multum.n. complacet mihi cor beneuolum, & valde aggrauat animam peccatum, quod per næquitiam perpetratur. Et quia non pro fauore hominum, ſed pro honore meo, & animæ ſuæ ſalute monaſteriũ hoc inſtituit, & congregationem valde dilexit: ſpeciali quadã proprietate, ſingularũ merita ſibi vendicauit: et de bonis earũ quaſi de ſuis exultat.

De anima Bernardi Comitis.

Cap. III.

QVùm fœlicis memoriæ dominus Bernardus Comes obijſſet, ſequenti die hæc virgo in oratione poſita, vidit animam ipſius coram pedibus domini iacentem, & vberrimè flentem pro eo, quod in infirmitate poſitus magis timore pœnæ, q̃; dei amore pœnituiſſet: nec lachrymas amoris vnq̃; in terris effudiſſet. Cuius miſeriæ illa plurimùm compatiens, orabat dominum, vt omnes amoroſas & innocentes lachrymas, quas vnq̃; in terris effuderat: animæ eius in remedium, & in ſupplementum donaret. Quod dũ pius dominus dignãter feciſſet: anima illa plurimùm gauiſa eſt. Illa autem dixit ad dominum. Mi domine, quùr animam iſtius tam immatura morte aſſumpſiſti, vt potè qui tam bonum ſortitus ſpiritum, multa (ſi ſuper vixiſſet) bona feciſſet? Et dominus. Sciſnè (inquit) quia bona opera, quæ fiunt ab exiſtẽte in mortali crimine, quaſi nullius ſunt valoris? At illa dixit. Et quid hoc prodeſt, quod eius bonitatem, eiuſq; virtutes, ac morum honeſtatem modò commemorantes extollunt? Qui reſpondit. Quoties homines in terris inſignia virtutum eius, ac vitæ innocentiam recitantes collaudant, toties ſancti ſingularem mihi proferunt laudem pro na-

turalibus virtutibus: quibus animam illam deco raui. Inſuper & anima ipſa (licet nundum ſit in gaudio) quoties homines in terris de ipſa bona loquuntur: toties me gaudens collaudat. Poſt hoc, infra triceſimum eiuſdem, quùm miſſa pro eo in Cappella, vbi ſepultus erat, celebraretur, & ſacerdos euangelium legeret: vidit dominum ſtare verſus ſacerdotem, & omnia verba, quæ dominus loquutus fuerat in euangelio, quaſi radios fulgentes ipſum tranſire ſacerdotē. Et ait dominus. Omnia verba, quæ loquutus ſum in terris, eiuſdem ſunt efficaciæ, & eandem, quam ex ore meo prudentia operata ſunt virtutem; etiam in quolibet ea deuote proferente perficiunt & perficient: quia verba mea nō ut hominū uerba tranſeunt, ſed ſicut ego æternus ſum: ita uerba mea æternum habēt effectū. Quùm uerò offertoriū cātaretur: dixit dominus. Oblatio fideliū, quam ſacerdos gaudens nō amore pecuniæ, ſed pure pro animarū ſalute ſuſcipit, et mihi libēs offert: multùm proficit animabus. Tūc vidit animā defuncti circa altare euntē: & cantantem. Scio domine, quia morti me tradidiſti ad ſalutem & gaudium & conſolationem animæ meæ. At illa. Quis te cantare docuit? Reſpondit. Omnia, quæ ad laudem creatoris mei pertinent: ſcio. Et illa. Habeſnè aliquam pœnā? luc. 21.

Reſpondit. Nullam, niſi quod amantiſſimum de um meum nundum video, quem tanto deſyderio cernere cœpio, quod ſi omne deſyderium, quod vnq; in terris aliquis ad deum habuit, homini vni eſſet infuſum: in comparatione deſyderij mei, qua ſi nihil eſſet. Tunc illa. Quomodo hoc verum eſt, quùm multi beatorum inæſtimabili deſyderio ad deum anhelauerint? Reſpondit. Quouſq; anima corporis mole grauatur, neceſſitatibus corporeis adeò impeditur, nunc comedendo, nunc dormiendo, nunc aliquid faciendo, nunc cum hominibus conuerſando: quod nequaq; tali ac tanto deſyderio flagrare poteſt, ſicut anima, quæ carne ſoluta, & ab omni impedimento libera: creatorem ſuum deſyderat inceſſanter. Menſe tertio poſt obitum prædicti Comitis, anima eius huic virgini iterũ hoc modo apparuit. Duo iuuenes ſplendidi ducebant animam illam, eratq; indutus griſea tunica, & deſuper ſupparo, in quo militarem ſuſceperat habitum. Et ait virgo. Quùr hac laycali veſte induaris? Reſpondit. Mater mea tam laudabiliter, & mihi tam gratanter meam hanc veſtem expendit: quod propterea videor vti illa. Alia etiam bene & proficue diſperſit, ſed hanc veſtẽ magis vtiliter præ cæteris. Et rogo, vt matri meæ, ac omnibus amicis meis gratias agas, quod

tam benignè & amicabiliter ergà me egerunt. Cui illa. Quur griſea veſte induer is? Reſpondit. Quùm eſſem in extremis, poſt dominici corporis perceptionem, integra voluntate propoſui, quod ſi viuerem: Chriſti miles fierem. Cui virgo. Quid maximè tibi profuit? Reſpondit. Miſſarum celebratio, eleemoſinarum largitio, & pura oratio, quæ de corde puro, & à peccatis mundo proceſſit. Et illa. Qui ſunt iſti iuuénes? Reſpondit. Vnus, eſt angelus, cui à deo in terris eram commiſſus, alius eſt de choro illo: in quem ſum deferendus.

De anima cuiusdam infantulæ.

Cap. IIII.

MAtrona quædã filiam ſuã mundũ natam deo conſecrare diſpoſuerat ita, vt ſi dum naſceretur, puella eſſet: ipſam Chriſto deſponſaret. Sed infra annũ puella defuncta eſt, cuius anima huic dei famulæ in ſpecie uirginis pulcherrimæ apparuit, induta veſte roſei coloris, & deſuper aureo pallio niueis lilijs mirificè adornato. Dixitq; ad puellam. Vnde hæc tibi tanta gloria? Quæ reſpondit. Dominus ſua benignitate eam mihi contulit. Hæc rubea veſtis ſignat, quod naturaliter eram amans, aureus verò amictus, religionis deſignat habitum, quem mihi contulit domi-

nus pro eo, quod mater mea religioſam me futuram deuouit. Super quo dum illa miraretur: audiuit à domino. Quid miraris? Nonnè infantes baptizati aliena fide ſaluantur? Nam ſicut mater ſpiritualis uotum chriſtianiſmi pro puero ſpondet, & ſi contigerit puerum decedere, per ipſum votum ſaluabitur: ſic ego integram matris voluntatem pro facto ſuſcipiens, omnia bona, quæ huic puellæ deſyderauit: in ipſa remuneraui. Tunc illa requiſiuit dominum, dicens. Qur amantiſſime domine tam immaturè puellam aſſumpſiſti? Reſpondit. Tam amabilis puella erat: quod viuere in terris non ei expediebat. Inſuper eius pater votum matris irritaſſet: & eam in ſeculo reſeruaſſet. Poſt hæc, quùm pro anima cuiusdam oraſſet: taliter eam dominus eſt alloquutus. Bibe de medulla cordis mei, gaudium ex parte omnium pro te orantium.

De futura hominis reſurrectione. Cap. V.

IN anniuerſario cuiuſdam, quùm ad vigilias
Iob. 19 cantaretur Reſponſorium. Credo, quod redemptor meus viuit. Vidit animam illius ineffabili gaudio & delectatione dominum Ieſum amplexantem: & eadem verba dulciſſimè de-

cantantem. Agnouitq; diuinitùs, quod animæ in cœlis inæſtimabili gaudio de Chriſti humanitate exultãt, et quoties in terris homines intẽtè hæc verba, vel aliud quid de futura eorũ reſurrectione cantant: ſtatim indicibili reſultant gaudio, videntes ipſam veritatem in Chriſti humanitate, certi, quod ipſi etiam reſurgent, orantq; pro ijs, qui hic pſallunt in terris, ut illã fœlicitatem etiam ipſi dignè conſequi mereantur. Agnouit etiam, quod dum homo illa verba deuotè profert: hac occaſione per fidem corpus ſuum ſanctificatur, ut dignius hac gloria perfruatur. Alia vice in miſſa, quũm audiret legi in euangelio. Et tertia die reſurget, Matth: 10 Mar. 10. Luc. 18 *procidit in terram, deo gratias agens, pro hominis reſurrectione & glorificatione futura. Et ecce vidit in ſacello, in quo orabat, tria corpora pulcherrima, quæ coram altari erant ſepulta; de ſepulchris ſe erigere, extenſis in cœlum manibus: & quaſi deo gratias agere. Corda autem eorum erant decorata gemmis precioſis, & miro modo quaſi ludendo mouebantur: de bonis operibus, quæ in corpore perfecerant, exultantes. Et cognouit à domino, quod in reſurrectione futura, corpus ſepties ſole clarius erit, & anima ſepties clarior corpore. Quæ corpus ſuum velut veſtimẽtum reinduens; per omnia membra corporis velut*

Sap 3 ſol per cryſtallum, lucebit. Et ſic fulgebunt iuſti
Math. 13 in cœleſti habitaculo corpore ſimul & anima ſine fine. Poſt hæc audiuit à domino. Sicut obediui patri meo, ſic adhuc obedientibus obedio: qui hic voluntatem ſuam cohibent propter me. Ipſi quoq; poſt hanc vitam ſingulari libertate & delicijs in me æternaliter delectabuntur, egoq; viciſſim in eis ſpeciali modo volo delectari ita, vt omnibus, qui in cœlo ſunt, notum ſit, q; gratum mihi ſit obſequium; hominem per veram obedientiam, propriam deſerere voluntatem.

De animabus Samſonis, Salomonis, Origenis, et Traiani. Cap. VI.

ROgata à quodam fratre, dominum in oratione requiſiui; vbi nam eſſent animæ Samſonis, Salomonis, Origenis & Traiani. Cui dominus. Quid pietas mea cum anima Samſonis egerit, volo eſſe ignotum: ut homines ſe de inimicis ſuis vlciſci amplius pertimeſcant. Quid miſericordia mea cum anima Salomonis fecerit, volo homines latere: quatenus carnalia peccata ab omnibus magis deuitentur. Quid vero benignitas mea cũ anima Origenis effecerit, volo eſſe abſconditum; vt nullus in ſcientia ſua confidens, audeat eleuari. Quid inſuper de anima Traiani liberalitas mea iuſ-

ſerit, volo homines ignorare: quatenus fides catholica ex hoc magis extollatur, quia hic licet omnibus polleret virtutibus: chriſtana tamen fide ac baptiſmo caruit.

De animabus per eius orationes liberatis Cap. VII.

IN die commemorationis animarum fidelium, quùm oraret pro fidelibus defunctis, impediebatur multum cogitationibus de quodam homine, quem ſciebat eſſe in ſtatu non bono. Et ecce vidit dominum quaſi pendentem in aere, ligatum manibus & pedibus: et illi dicentem. Quoties homo mortaliter peccat; toties ita me ligat. Et tamdiu me ligatum tenet: quãdiu in peccato perſeuerat. Poſt hæc apparuit ei dominus quaſi iuuenis ſpecioſiſsimus mirè decoratus, habens in pectore tria ornamenta uelut tria monilia precioſa. Per primum, deſignabatur æternum deſyderium: quo deus circa animam iugiter flagrat. Per ſecundum, amor diuini cordis eius: quo ſemper diligit hominem et licet homo tepeſcat, et nihil amoris ſentiat; amor tamen diuini cordis eius flagrans & immutabilis erga hominem perſeuerat. Per tertium, exprimebatur delectatio cordis dei: de qua dicitur. Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Aſſumenſq; prouer. 8

animam, perduxit eam in hortum amæniſſimum, qui ſitus erat in aere, vicinus cœlo, in quo erat multitudo animarum, quæ omnes ad menſam magnam in aquilonari parte conſederunt. Dominus autem per ſeipſum dignantiſſime accedens: miniſtrabat eis, omniaq; verba, quæ in choro ad vigilias, & omnia, quæ per vniuerſam eccleſiam pro animabus die illa fiebant, tanquam diuerſa fercula illis apponebat, & velut pocula varia propinabat. Et dum cantaretur verſus. Si quæ illis ſint, domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia lenitatis indulge. Dixit ad dominum. Mi domine, quid hæc verba illis proſunt, quum ſint in magno gaudio? Tunc animarum cordibus ſe aperientibus, vidit in corde cuiuslibet quaſi uermem, qui habebat caput in modum canis, et quatuor pedes, corrodens inceſſanter corda earum: & vnguibus diuellens. Hic vermis, erat propria cuiuslibet conſcientia, qui ideò faciem canis prætendebat, quia fidele animal eſt canis: & conſcientia ſemper corrodit et arguit animam eò quod dulciſsimo & benigniſsimo deo ſuo infidelis fuerit, nec ad eum abſq; impedimento poſt mortem auolare promeruerit. Per anteriores pedes, exprimebantur omnia opera, quæ homo facit contra dei præcepta: quibus promeretur poſt mortem cruciari. Per poſteriores

riores pedes, figurabantur omnia deſyderia mala, & viæ peruerſæ: quæ animam à deo ſuo elongaue rant. Hic vermis etiam habebat caudam lõgá, quæ in quibuſdam erat leuis & plana: in quibuſdam verò hiſpida & hirſuta. Per hanc caudam notabatur fama, quam reliquerant in terris. Quæ enim famã bonam reliquerant, earum cauda erat leuis & plana: et ex hoc quoddam habebant remedium. Quæ autem malam famam reliquerant: earum cauda erat hiſpida et retorta, crucians animam vehementer, hic vermis nunq̃ moritur; nec anima inde liberatur: donec intret in gaudium domini ſui. Tunc illa totis viribus dominum orabat, ut animabus illis plenam remiſsionem tribueret, et ad ſuæ claritatis gloriam aſſumeret. Et ecce omnium vermes cadentes moriebantur: & animæ cum magna exultatione ad cœleſtia gaudia euolabãt. Poſt hæc aſſumpſit eã dominus, oſtendens illi purgatorium, in quo diuerſa vidit tormenta. Quaſdam enim animas vidit velut de igne exeuntes, conbuſtas & deformes, pro quibus dum iſta oraſſet: continuò de pœnis liberatæ, quælibet formam & habitum ſuum, qualis fuerat in terris, recipiebat: & in hortum illum, de quo priores animæ ſunt ereptæ: cum gaudio tranſmigrauerunt. Poſt hæc quùm dominum rogaret, quid animabus ſit fa

ſuum in pignus dedit, quod te ſponſam ſuam nunquã deſerere velit, offerens etiam illud quotidie in altari pro te, in exhibitionem amoris: quo te ab æterno præuenit. Ergo æterni patris filia, eiuſq; vnici & coæterni filij ſponſa prælecta, amicaq; ſpiritus ſancti, & requies deſyderata, dilige tã præcordialem dilectorem, à quo dilecta es, qui & totus amor eſt. Eſto fidelis ei, qui ipſa fidelitas eſt, & quùm aliquid tibi moleſtum occurrerit, ſuſcipe illud, ac ſi vinculum aureum ſit, quod deus ipſe circũpoſuerit tibi; quo te ad filij ſui trahat amorem. Tunc autem ſtatim conſentiens, ad tractum illum te totam eleua, & cor tuum vt magis trahatur, per gratitudinem & patientiam habilita, diligenter attendens, quam deus per hoc velit in anima tua operari ſalutem. Conſydera etiam, quid deſit tibi in virtutibus. Quòd ſi indiges humilitate, aut alia virtute, reſera tibi claue amoris precioſiſsimum omnium uirtutum ſcrinium, cor ſcilicet Chriſti diuinum, orans dominum virtutũ, vt virtutes ſuas nobiles det tibi in auxilium, quibus deuincas vitiorum omnium tentamentũ. Quòd ſi latrunculi malarum cogitationũ tibi irruerint, recurre ad armarium, aſſumens inde præclariſsima arma idest domini tui paſsionem & mortem, quam tàm validè per iugem memoriam cordi tuo

infigas: vt omnis inde cogitationum turba annihi
lata ſugetur. Quùm verò deſperationis cogitatio 1 Tim. 2.
ne impugnaris, curre ad ſcrinium inexhauſtæ di
uinæ pietatis, quæ nullum vult perire, ſed ad agni
tionem & amorem veritatis venire, exceptis ijs,
qui ſponte eligunt damnari, recolens, quod deus
paratior eſt hominem ſuſcipere: quàm ipſe venire.
Et hoc maximè deus deſyderat, vt homo talem ſe
ei exhibeat, vt gratiam ſuam ſine intermiſsione
illi infundere valeat: & qualibet bona in eo ſem
per augmentet.

Alia epiſtola.

AMator hominum dominus Ieſus deſyderio de
ſyderat animam ſibi vniri, ſpecialiter illam,
quæ vult ab eo conſolari, eiuſq; delicias cupit ex
periri, vt omnem conſolationem, ſiue delectatio-
nem creaturarum abijciat, quæ ipſam ad dei amo
rem non allicit, aut impellit. Quùm enim homo ali
quid habet, quod diligit, aut quo delectatur: co
gitet apud ſe, quia deus hoc illi donauit, vt ad ſui
amorem exinde promoueatur. Quòd ſi ſentit ſe in
amore dei ex hoc non proficere, ſed illud, quod di
ligit, ſæpius cordi ſuo q; deum aduenire: debet il
lud amo ere, ſiue homo ſit, ſiue alia creatura: ſi
dei familiaritate non vult carere. Quia delicata

valde eſt illa familiaritas, nec omnino patitur, vt ſupra ſe, aut etiam ſecum aliquid habeatur. Ipſe enim paternæ charitatis filius, ſolus vult eſſe amãtiſsimus & intimus cordis tui. Deus cor ſuum diuinum donauit animæ, vt ipſa cor ſuum viciſsim illi donet. Quod ſi gratanter & fiducialiter fecerit, ipſum potentia ſua ſic continebit: vt homo ille nunquã ad magnum valeat declinare peccatum. Cordis etiam dei ſtudioſus ſit homo, conſyderando attentius, quid ei maximè complaceat. Et quùm triſtatur, ſtatim ad theſaurum ſibi cõmiſſum fidẽter confugiat: quærens ibidem conſolari. Quòd ſi diuina diſponente ſapientia, non conſolatur, nihilominus deum ex corde gratias agendo laudet, quod deo in anima fideli multum complacet, quæ non ſua, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærit: nec ſuam conſolationem diuino præponit beneplacito.

Spiritualis gratiæ libri quarti
FINIS.

INCIPIT SPIRITVA-LIS GRATIAE LIBER QVINTVS.

In quo agitur de animabus defunctorum.

De quadam ſorore infirma. Cap. I.

EXIMIAE pietatis, hæc Chriſti virgo ſuper afflictos pia geſtans viſcera, ſicut viuorum ſemper memor extitit ante dominum: ita etiam animabus defunctorũ ſuis deuotis orationibus ſtuduit ſuffragari. Vnde factum eſt, vt non rarò quùm etiam pro animabus oraret dominum, quæ orationis ſuffragio non indigebant: earum meritum & gloriam pius & miſericors dominus eidem demonſtraret. Soror igitur quædam poſtquã omnibus diebus vitæ ſuæ in ſancta religione deo ſeruiuiſſet, cœpit infirmari, pro qua dum iſta deuotiùs dominum inuocaret, vidit animam eius quaſi coràm domino genua flectentem, & dominum roſea vulnera ſua eidem oſtendentem: quæ illa hoc verſu, quem antea nunq̃; audierat: ſalutabat. O Salutifera vulnera dulciſsimi amatoris mei Ieſu Chriſti. Saluete, ſaluete, ſaluete in omnipotentia patris, qui vos

dedit. In ſapientia filij, qui in vobis ſuſtinuit. In benignitate ſpiritus ſancti, qui in vobis opus noſtræ redemptionis perfecit. Quum verò olei ſacrati percipere deberet vnctionem, vidit duos angelos peluim portantes. Per aquam, quæ erat in pelui, deſignabatur miſericordia & veritas, in quibus anima lauari debebat ab omnibus maculis.

Pſ. 88. Iuxta illud. Miſericordia & veritas præcedēt faciem tuam: Dominus autem iuxta infirmam ad locum ſacerdotis ſe ponebat: & beata virgo Maria ad caput reſidebat. Et dum ſacerdos litaniam legeret, dominus eā ter ſigno crucis ſignabat: dicens. Ego benedico te in ſanctificationem & ſanitatem animæ & corporis. Quumq; nominaretur virgo Maria, ipſa erexit infirmam: dicens. Ecce fili, hanc ſponſam tibi do: perpetuò amplexandam. Singuli quoq; ſanctorum dum nominarentur, flexis genibus pro ea dominum rogabant. Finita autem vnctione, dixit dominus matri ſuæ. En iſtam tibi cōmendo, quam repræſentes meo cōſpectui immaculatam.

De anima Domini Bernardi fundatoris. Cap. II.

IN anniuerſario quodam piæ memoriæ Domini Bernardi fundatoris noſtri, quum pro ipſo miſ

ſa celebraretur: hæc dei ancilla vidit animā eius coram deo ſtantem, & in veſte eius, totius congregationis, quam ipſe fundauerat, imagines pulcherrimæ apparebant, tam earum, quæ iam in cœleſtibus regnant: q̃; earum, quæ illuc ſunt peruenturæ. In corona quoq; eius, tot aureos flores habebat, quot in eodem cœnobio animas fuerat lucratus deo. Duæ etiam Abbatiſſæ, quæ idem cœnobium rexerant, vna à dextris, & alia à ſiniſtris eius in gloria ſtabant: quibus dominus verbis valde dulcibus gratias egit, quod de ouibus eis commiſſis: nunq̃; aliqua periſſet. Illa verò, quæ hæc videbat: dixit ad dominū. Et vnde domine mi, promeruit hæc anima, vt hanc voluntatem tam grandis, tibiq; tam laudabilis operis ſibi inſpirares? Reſpondit dominus. Benigni cordis erat: et homo beneuolus: & quicquid peccauit, non tamen næquiter aut malicioſè fecit, ideò hanc ſalutis viam illi mea ſapientia adinuenit. Multum.n. complacet mihi cor beneuolum, & valde aggrauat animam peccatum, quod per næquitiam perpetratur. Et quia non pro fauore hominum, ſed pro honore meo, & animæ ſuæ ſalute monaſteriū hoc inſtituit, & congregationem valde dilexit: ſpeciali quadā proprietate, ſingularū merita ſibi vendicauit: et de bonis earū quaſi de ſuis exultat.

De anima Bernardi Comitis.
Cap. III.

QVùm fœlicis memoriæ dominus Bernardus Comes obijſſet, ſequenti die hæc virgo in oratione poſita, vidit animam ipſius coram pedibus domini iacentem, & vberrimè flentem pro eo, quod in infirmitate poſitus magis timore pœnæ, q̃; dei amore pœnituiſſet: nec lachrymas amoris vnq̃; in terris effudiſſet. Cuius miſeriæ illa plurimùm compatiens, orabat dominum, vt omnes amoroſas & innocentes lachrymas, quas vnq̃; in terris effuderat: animæ eius in remedium, & in ſupplementum donaret. Quod dũ pius dominus dignãter feciſſet: anima illa plurimùm gauiſa eſt. Illa autem dixit ad dominum. Mi domine, quùr animam iſtius tam immatura morte aſſumpſiſti, vt potè qui tam bonum ſortitus ſpiritum, multa (ſi ſuper vixiſſet) bona feciſſet? Et dominus. Sciſne (inquit) quia bona opera, quæ fiunt ab exiſtẽte in mortali crimine, quaſi nullius ſunt valoris? At illa dixit. Et quid hoc prodeſt, quod eius bonitatem, eiuſq; virtutes, ac morum honeſtatem modò commemorantes extollunt? Qui reſpondit. Quoties homines in terris inſignia virtutum eius, ac vitæ innocentiam recitantes collaudant, toties ſancti ſingularem mihi proferunt laudem pro na-

turalibus virtutibus: quibus animam illam deco ravi. Inſuper & anima ipſa (licet nundum ſit in gaudio) quoties homines in terris de ipſa bona loquuntur: toties me gaudens collaudat. Poſt hoc, infra triceſimum eiuſdem, quùm miſſa pro eo in Cappella, vbi ſepultus erat, celebraretur, & ſacerdos euangelium legeret: vidit dominum ſtare verſus ſacerdotem, & omnia verba, quæ dominus loquutus fuerat in euangelio, quaſi radios fulgentes ipſum tranſire ſacerdotẽ. Et ait dominus. Omnia verba, quæ loquutus ſum in terris, eiuſdem ſunt efficaciæ, & eandem, quam ex ore meo prudentia operata ſunt virtutem; etiam in quolibet ea deuote proferente perficiunt & perficient: quia verba mea nõ ut hominũ uerba tranſeunt, ſed ſicut ego æternus ſum: ita uerba mea æternum habẽt effectũ. Quùm uerò offertoriũ cãtaretur: dixit dominus. Oblatio fideliũ, quam ſacerdos gaudens nõ amore pecuniæ, ſed pure pro animarũ ſalute ſuſcipit, et mihi libẽs offert: multùm proficit animabus. Tũc vidit animã defuncti circa altare euntẽ: & cantantem. Scio domine, quia morti me tradidiſti ad ſalutem & gaudium & conſolationem animæ meæ. At illa. Quis te cantare docuit? Reſpondit. Omnia, quæ ad laudem creatoris mei pertinent: ſcio. Et illa. Habeſnè aliquam pœnã?

Luc. 21.

Reſpondit. Nullam, niſi quod amantiſsimum deum meum nundum video, quem tanto deſyderio cernere cupio, quod ſi omne deſyderium, quod vnq; in terris aliquis ad deum habuit, homini vni eſſet infuſum: in comparatione deſyderij mei, quaſi nihil eſſet. Tunc illa. Quomodo hoc verum eſt, quùm multi beatorum inæſtimabili deſyderio ad deum anhelauerint? Reſpondit. Quouſq; anima corporis mole grauatur, neceſsitatibus corporeis adeò impeditur, nunc comedendo, nunc dormiendo, nunc aliquid faciendo, nunc cum hominibus conuerſando: quod nequaq; tali ac tanto deſyderio flagrare poteſt, ſicut anima, quæ carne ſoluta, & ab omni impedimento libera: creatorem ſuum deſyderat inceſſanter. Menſe tertio poſt obitum prædicti Comitis, anima eius huic virgini iterũ hoc modo apparuit. Duo iuuenes ſplendidi ducebant animam illam, eratq; indutus griſea tunica, & deſuper ſupparo, in quo militarem ſuſceperat habitum. Et ait virgo. Qur hac laycali veſte induaris? Reſpondit. Mater mea tam laudabiliter, & mihi tam gratanter meam hanc veſtem expendit: quod propterea videor vti illa. Alia etiam bene & proficue diſperſit, ſed hanc veſtẽ magis vtiliter præ cæteris. Et rogo, vt matri meæ, ac omnibus amicis meis gratias agas, quod

tam benignè & amicabiliter ergà me egerunt. Cui illa. Quur griſea veſte indueris? Reſpondit. Quum eſſem in extremis, poſt dominici corporis perceptionem, integra voluntate propoſui, quod ſi viuerem: Chriſti miles fierem. Cui virgo. Quid maximè tibi profuit? Reſpondit. Miſſarum celebratio, eleemoſinarum largitio, & pura oratio, quæ de corde puro, & à peccatis mundo proceſſit. Et illa. Qui ſunt iſti iuuénes? Reſpodit. Vnus, eſt angelus, cui à deo in terris eram commiſſus, alius eſt de choro illo: in quem ſum deferendus.

De anima cuiusdam infantulæ.

Cap. IIII.

MAtrona quædã filiam ſuã mundũ natam deo conſecrare diſpoſuerat ita, vt ſi dum naſceretur, puella eſſet: ipſam Chriſto deſponſaret. Sed infra annũ puella defuncta eſt, cuius anima huic dei famulæ in ſpecie uirginis pulcherrimæ apparuit, induta veſte roſei coloris, & deſuper aureo pallio niueis lilijs mirificè adornato. Dixitq; ad puellam. Vnde hæc tibi tanta gloria? Qua reſpondit. Dominus ſua benignitate eam mihi contulit. Hæc rubea veſtis ſignat, quod naturaliter eram amans, aureus verò amictus, religionis deſignat habitum, quem mihi contulit domi-

nus pro eo, quod mater mea religioſam me futuram deuouit. Super quo dum illa miraretur: audiuit à domino. Quid miraris? Nonnè infantes baptizati aliena fide ſaluantur? Nam ſicut mater ſpiritualis uotum chriſtianiſmi pro puero ſpondet, & ſi contigerit puerum decedere, per ipſum votum ſaluabitur: ſic ego integram matris voluntatem pro facto ſuſcipens, omnia bona, quæ huic puellæ deſyderauit: in ipſa remuneraui. Tunc illa requiſiuit dominum, dicens. Quùr amantiſſime domine tam immaturè puellam aſſumpſiſti? Reſpondit. Tam amabilis puella erat: quod viuere in terris non ei expediebat: Inſuper eius pater votum matris irritaſſet: & eam in ſeculo reſeruaſſet. Poſt hæc, quùm pro anima cuiuſdam oraſſet: taliter eam dominus eſt alloquutus. Bibe de medulla cordis mei, gaudium ex parte omnium pro te orantium.

De futura hominis reſurrectione. Cap. V.

IN anniuerſario cuiuſdam, quùm ad vigilias
Iob. 19 cantaretur Reſponſorium. Credo, quod redemptor meus viuit. Vidit animam illius ineffabili gaudio & delectatione dominum Ieſum amplexantem: & eadem verba dulciſſimè de-

cantantem. Agnouitq; diuinitùs, quod animæ in cœlis inæſtimabili gaudio de Chriſti humanitate exultāt, et quoties in terris homines intētè hæc verba, vel aliud quid de futura eorū reſurrectione cantant: ſtatim indicibili reſultant gaudio, videtes ipſam veritatem in Chriſti humanitate, certi, quod ipſi etiam reſurgent, orantq; pro ijs, qui hic pſallunt in terris, ut illā fœlicitatem etiam ipſi dignè conſequi mereantur. Agnouit etiam, quod dum homo illa verba deuotè profert: hac occaſione per fidem corpus ſuum ſanctificatur, ut digniùs hac gloria perfruatur. Alia vice in miſſa, quúm audiret legi in euangelio. Et tertia die reſurget, Matth: 10 *procidit in terram, deo gratias agens, pro homi-* Mar. 10. *nis reſurrectione & glorificatione futura. Et ec-* Luc. 18 *ce vidit in ſacello, in quo orabat, tria corpora pulcherrima, quæ coram altari erant ſepulta; de ſepulchris ſe erigere, extenſis in cœlum manibus: & quaſi deo gratias agere. Corda autem eorum erant decorata gemmis precioſis, & miro modo quaſi ludendo mouebantur: de bonis operibus, quæ in corpore perfecerant, exultantes. Et cognouit à domino, quod in reſurrectione futura, corpus ſepties ſole clarius erit, & anima ſepties clarior corpore. Quæ corpus ſuum velut veſtimētum reinduens; per omnia membra corporis velut*

Sap 3 ſol per cryſtallum, lucebit. Et ſic fulgebunt iuſti
Math. 13 in cœleſti habitaculo corpore ſimul & anima ſine fine. Poſt hæc audiuit à domino. Sicut obediui patri meo, ſic adhuc obedientibus obedio: qui hic voluntatem ſuam cohibent propter me. Ipſi quoq; poſt hanc vitam ſingulari ubertate & delicijs in me æternaliter delectabuntur, egoq; viciſſim in eis ſpeciali modo volo delectari ita, vt omnibus, qui in cœlo ſunt, notum ſit, q; gratum mihi ſit obſequium; hominem per veram obedientiam, propriam deſerere voluntatem.

De animabus Samſonis, Salomonis, Origenis, et Traiani. Cap. VI.

Rogata à quodam fratre, dominum in oratione requiſiui; vbi nam eſſent animæ Samſonis, Salomonis, Origenis & Traiani. Cui dominus. Quid pietas mea cum anima Samſonis egerit, volo eſſe ignotum: ut homines ſe de inimicis ſuis vlciſci amplius pertimeſcant. Quid miſericordia mea cum anima Salomonis fecerit, volo homines latere: quatenus carnalia peccata ab omnibus magis deuitentur. Quid verò benignitas mea cū anima Origenis effecerit, volo eſſe abſconditum; vt nullus in ſcientia ſua confidens, audeat eleuari. Quid inſuper de anima Traiani liberlitas mea iuſ-

ſerit, volo homines ignorare: quatenus fides catholica ex hoc magis extollatur, quia hic licet omnibus polleret virtutibus: chriſtana tamen fide ac baptiſmo caruit.

De animabus per eius orationes liberatis Cap. VII.

IN die commemorationis animarum fidelium, quum oraret pro fidelibus defunctis, impediebatur multum cogitationibus de quodam homine, quem ſciebat eſſe in ſtatu non bono. Et ecce vidit dominum quaſi pendentem in aere, ligatum manibus & pedibus: et illi dicentem. Quoties homo mortaliter peccat; toties ita me ligat. Et tamdiu me ligatum tenet: quãdiu in peccato perſeuerat. Poſt hæc apparuit ei dominus quaſi iuuenis ſpecioſiſsimus mirè decoratus, habens in pectore tria ornamenta uelut tria monilia precioſa. Per primum, deſignabatur æternum deſyderium: quo deus circa animam iugiter flagrat. Per ſecundum, amor diuini cordis eius: quo ſemper diligit hominem et licet homo tepeſcat, et nihil amoris ſentiat; amor tamen diuini cordis eius flagrans & immutabilis erga hominem perſeuerat. Per tertium, exprimebatur delectatio cordis dei: de qua dicitur. Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Aſſumensq; Prouer. 8

riores pedes, figurabantur omnia deſyderia mala, & viæ peruerſæ: quæ animam à deo ſuo elongauerant. Hic vermis etiam habebat caudam longã, quæ in quibuſdam erat leuis & plana: in quibuſdam verò hiſpida & hirſuta. Per hanc caudam notabatur fama, quam reliquerant in terris. Quæ enim famã bonam reliquerant, earum cauda erat leuis & plana; et ex hoc quoddam habebant remedium. Quæ autem malam famam reliquerant: earum cauda erat hiſpida et retorta, crucians animam vehementer, hic vermis nunq̃; moritur; nec anima inde liberatur: donec intret in gaudium domini ſui. Tunc illa totis viribus dominum orabat, ut animabus illis plenam remiſsionem tribueret, et ad ſuæ claritatis gloriam aſſumeret. Et ecce omnium vermes cadentes moriebantur: & animæ cum magna exultatione ad cœleſtia gaudia euolabãt. Poſt hæc aſſumpſit eã dominus, oſtendens illi purgatorium, in quo diuerſa vidit tormenta. Quaſdam enim animas vidit velut de igne exeuntes, conbuſtas & deformes, pro quibus dum iſta oraſſet: continuò de pœnis liberatæ, quælibet formam & habitum ſuum, qualis fuerat in terris, recipiebat: & in hortum illum, de quo priores animæ ſunt ereptæ; cum gaudio tranſmigrauerunt. Poſt hæc quùm dominum rogaret, quid animabus ſit fa

ſtus pro eis perſoluit: ut amorem cordis ipſius cum reuerentiſsimo honore, quem illi ĩ humanitate exhibuit: ſuſcipiat in huius delicti ſupplementum. Sanctificetur nomen tuum, in ſuppletionem, quod nomen dei et patris ſui nunquã dignè venerati ſunt, & ſæpe in vanum illud aſſumpſerunt, ſed perrarò eius nomen intentè cogitauerunt, et etiam nomine illo digniſsimo, quo chriſtiani, à Chriſto ſunt denominati, malè viuendo indignos ſe fecerunt, deſyderans, ut ſuſcipere dignetur illam perfectiſsimam ſanctitatem filij ſui, qua eius benedictum nomen prædicando extulit: & in omnibus operibus ſuæ humanitatis honorauit. Adueniat regnum tuum. In hoc ĩtenderet indulgeri animabus, quod regnum dei, imò ipſum deum, in quo ſolo vera requies, et gaudium ſempiternum eſt nunquam tam feruenter deſyderauerunt: nec diligẽti ſtudio quæſierunt. Orans, quatenus ſanctiſsimum deſyderium amantiſsimi filij ſui, quo eas ſui regni voluit eſſe cohæredes; ſuſcipiat pro omni torpore, quem ad quæq; bona habuerunt. Fiat voluntas tua; quod voluntatem dei voluntati ſuæ non prætulerunt: nec in omnibus dilexerunt, orans ut vnionẽ dulciſsimi cordis filij ſui, ac promptiſsimam eius obedientiam, qua extitit obediens uſq; ad mortẽ: ſuſcipiat in emendationem totius inobedientiæ ipſa

rū. Specialiter cognouit ī illo verbo fiat voluntas tua, ſpirituales multùm delinquere, qui voluntatem ſuam perrarò deo ad plenum offerunt, inſuper & oblatam ſæpius auferunt: per neceſſarium eſſe eis, vt in hoc verbo, ſpecialiter eorum mentio fiat, quia per hanc negligentiàm poſt mortem val de à deo elongantur. Panem noſtrum quotidianum, quòd illud prænobile ſacramentum, & eis tam perutile nunq; tanto deſyderio, deuotione & amore ſumpſerunt, & multi ſe indignos fecerunt: & plurimi raro aut nunq; ſunt conſequuti. Orans deum patrem, vt ſuſcipiat illum feruentiſſimum amorem, inæſtimabile deſyderium & maximam ſanctitatem, ac deuotionē Chriſti filij ſui, in qua hoc ſuperexcellens donum nobis donauit. Et dimitte nobis debita noſtra, in hoc verbo deſyderaret dimitti eis omnia peccata, quæ in ſeptem criminalibus vitijs, et ex eis prodeuntibus commiſerunt. Et quod in ſe peccantibus non dimiſerunt: nec inimicos ſuos dilexerunt. Orans deum, vt ſuſcipiat charitatiuam illam filij ſui orationem: quam pro inimicis ſuis orauit. Et ne nos inducas in tentationem, quod vitijs & concupiſcentijs non reſliterunt, ſed toties dyabolo & carni conſenſerunt: multis malis ſe ſponte implicantes. Orans, vt glorioſam Chriſti victoriam, qua mundum, & dia

bolum vicit, cum tota eius ſanctiſſima conuerſatione, at vniuerſis laboribus & paſſionibus ſuis, animabus in ſupplementum totius negligentiæ conferre dignetur: liberans eas ab omnibus malis, et ad regnũ gloriæ (quod ipſe eſt) perducat: amen. Qũm hanc orationem intentione tali perlegiſſet: vidit copioſam multitudinem animarum cum maxima hylaritate pro ſui liberatione deo gratias agere. Legerat etiam aliquando quinquies pater noſter ſanctiſſimis Chriſti vulneribus pro quodã mortuo (ſecundum morem noſtrum) quæ ſtatim, vt aliquis mortuus nuntiatus fuerit: legere ſolemus. Et deſyderabat ſcire, quid remedij anima inde haberet. Cui dominus reſpondit. Anima ex hoc quinq; bona conſequitur. Angeli enim à dextris eius miniſtrant ei protectionem, & à ſiniſtris conſolationem, ante: ſpem, retro: confidentiam, ſupra: cœleſte gaudium. Et adiecit dominus: dicens. Quicunq; pro aliquo mortuo, compaſſionis vel charitatis affectu intercedit, particeps erit omnium bonorum, quæ fiunt per eccleſiam pro illo defuncto in die exitus ſui, & omnia ſibi parata inueniet ad remedium & ſalutem animæ ſuæ.

De inferno & purgatorio.
Cap. IX.

ORans aliquando vidit ſub terra infernũ apertũ, et in eo infinitam miſeriam & horrorem, quaſi ſerpentes & buffones, leones et canes, & omnium ferarum atrociũ ſpecies ſeſe inuicem crudeliſſimè laniantes. Tunc illa dixit. Qui ſunt hi miſerrimi? Cui dominus. Hi ſunt (inquit) qui nunq; dulciter vna hora recordati ſunt mei. Vidit etiam purgatorium, vbi tot genera pœnarum erant: quot vitijs animæ ſe ſubiecerant in hac vita. Qui enim hic ſuperbi fuerant: in purgatorio de lacu in lacum inceſſanter cadebant. Qui gulæ et ebrietate deliquerant: ibi ſupini, & velut amentes iacebant: eſurie & ſiti contabeſcentes. Et qui carnis deſyderia perfecerant: ſicut pingues carnes aſſatæ, per ignem effluebant. Qui verò regulam & obedientiam profeſſam non tenuerant: ibi velut mole depreſſi & incuruati incedebant. Sic pro ſingulis vitijs, ſecundum quòd animæ meruerant: in purgatorio pœnas luebant. Sed pro his dum iſta preces fudiſſet: copioſam multitudinem inde dominus liberauit.

Quomodo deus animam iuſti in exitu replet. Cap. X.

QVùm anima egreditur à corpore, ſi tam libera eſt ab omnibus peccatis, vt cœli ſecre-

ta ſtatim intrare promeruerit: in primo egreſſu animam illam fœlicem deus ſua diuina virtute ſic penetrat, omneſq́; ſenſus eius ſic replet & poßidet: vt ipſe ſit oculus animæ, quo videt, & lux, per quam videt: & decor, qui videtur. Eſt etiã animæ auditus, quo audit dulcißima eloquia ſua: & quo anima audit ipſius dei ac omnium ſanctorum concentum. Odoratus quoq; animæ eſt, & ſpiramen ſpirans ſui ipſius dulcedinem: qua anima in æternum viuificatur. Eſt etiam animæ guſtus, quo ſui ipſius dulcedinẽ in anima ſapit. Item deus ipſe eſt vox & lingua animæ, qua ſeipſum in anima et pro anima plenißimè & altißimè laudat. Ipſe quoq; eſt cor animæ, delectans & iucundans animam, ac fruens delicijs ſuis in anima & cum anima iucundißima delectatione. Eſt in ſuper deus vita animæ, vt omne quod agit anima: ipſe deus in ea agere videatur, vt illud impleatur. Erit eis deus omnia in omnibus. Animabus autem nundum purgatis angeli lumen cognitionis miniſtrant, & ſunt eis ſubſidium in pœnis; & ſolatium. Animas verò damnandorũ in exitu implent tenebræ, terror, fœtor, amaritudo, pœna intolerabilis, triſtitia indicibilis, deſperatio & infinita miſeria. Sicq́; in ſeipſis deſperatæ et omni bono penitus deſtitutæ ſunt: vt ſi nunq́; in infernũ 1 Cor 15.

aut in poteſtatem dæmonum deuenirent, hæc tanta mala, quibus in ſemetipſis replentur: eſſent eis ſufficiens cruciatus.

De nomine, vtilitate ac veritate huius libri. Cap. XI.

ISte liber ferè totus à perſona illi familiari, cui ſecreta ſua reuelare conſueuerat, ita conſcriptus eſt: vt hæc dei ancilla ignoraret. Sed dum à quodam didiciſſet, in tantum contriſtata eſt: vt omnino conſolari non poſſet: Vndè ad dominum (more ſolito) confugiens, ipſi triſtitiam ſuam cum fiducia exponebat. Cui dominus ait. Sponſa mea, in libertate melliflui ac largiflui cordis mei, hæc tibi demonſtraui. Tu autē da me in bonitate mea, & non in tua. Et illa. Quid fiet de libro illo poſt mortem meam, aut quæ vtilitas ex eo proueniet, & quod vocabulum libri erit? Reſpondit dominus. Omnes, qui fideli corde exquirunt me: in eo lætificabuntr. Et qui me diligunt: in amore meo amplius exardeſcent. Et qui mœrentes ſunt: in eo conſolationem inuenient. Vocabitur autem, liber ſpiritualis gratiæ. In miſſa etiam quadam apparuit ei dominus reſidens coram ea in ſolio maieſtatis: cui dixit. Modò licet me repleueris, & miro modo illuſtraueris: ego tamen tam parua, ac

debilis creatura ſum, quod omnia, quæ in te cogno ſco, et quicquid inde hominibus elucidare valeo; vix tantum eſt, quantum formica è maximo mõte poterit euellere, & euulſum aſportare. Tunc recordata eſt, quod de illis illuſtrationibus liber conſcriptus eſſet: & dixit ad dominum. Quid te mouit domine, vt mihi indigniſſimæ ac viliſſimæ famulæ tuæ talia conferres? Reſpondit. Mea bonitas infinita. Quia ſi te talibus non allexiſſem, tantum terrenæ conſolationis habuiſſes: quod parum in te retinuiſſem. Et illa. Vnde ſcire poſſum, ſi verum eſt omne, quod de ijs ſcribunt, quum ego nec legerim, nec approbauerim? Reſpondit dominus. Ego ſum in corde deſyderantium à te audire, excitando ad hoc deſyderium eorum. Ego ſum intellectus in aure audientium, per quem intelligũt, quæ audiunt. Ego ſum in ore inde loquentiũ. Ego ſum in manu ſcribentium, in omnibus cooperator & adiutor eorum, ſicq; omne, quod in me et per me veritatem dictant & ſcribunt: verum eſt. Tu etiam toties me rogaſti, ut te non permitterem ſpiritu erroris ſeduci, ut tutè meæ crederes bonitati: ſcias te in hoc exauditam. Tunc vidit de corde dei tres radios tendentes in corda duarum perſonarum, quæ hunc librum ſcribebant, per quod intellexit, quod diuina inſpiratione, et confortante

eas gratia, hoc opus peragerent ita, ut laborem & quicquid inde ſuſtinerent, aut ſuſtinere deberent: libenter tolerarent. Illa verò iterum dixit. Eya dulciſsime amator, quia ego ingratiſsima pro tantis donis tuis tibi dignas non retuli gratias, deſydero vt omnes, qui hunc librum lecturi ſunt: tibi condignas per temetipſum pro me tantilla gratias agant. In hoc .n. ſolummodo conſolabor, ſi tibi laus, & profectus legentibus inde proueniat. Cui dominus. Omnes hunc librum legentes quoties me pro dono tibi collato, per antiphonā. Tibi decus, aut alio quocunq; modo laudauerint: tot dulcia amoris carmina in cœlo mihi in præſentia ſemper venerandæ trinitatis decantabunt. Alia vice quúm pro omnibus librum hunc lecturis, dominū oraſſet, & quid beneficij ex hoc, quod donum dei in alijs diligerent, conſequerentur, interrogaſſet: dominus reſpondit. Omnes, qui hoc donum meum in alijs diligunt, ſimile præmium & eandem gloriam, quam meruerunt ij, quibus hanc contuli gratiam: & ipſi conſeqnentur.

Quod hic liber ſit præuiſus, & liber ſpiritualis gratiæ vocatus. Cap. XII.

QVod hic liber verè ex deo ſit, & eius aſpirante gratia conſcriptus, ac quod liber ſpiri-

tualis gratiæ vocandus ſit: longè ante præoſtenſum eſt. Nam illa perſona, quæ hunc librum partim ex ore eius, cui à deo inſpiratus eſt, partim ex ore ſibi familiariſſimè conſcripſit, ante tres ferè annos, talem per ſomnum vidit viſionem. Videre .n. ei videbatur quod hæc deo digna perſona, de qua ſermo eſt, deuotiſſimè cōmunicaret. Quùmq; à communione ſancta rediret: alta voce cœpit cantare, dicens. Domine, quinq; talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinq; ſuperlucratus ſum. Poſt hæc dixit. Quis vult de melle cœleſtis Hieruſalem? Tunc ſororibus omnibus, quæ in choro erant, ad eam accedentibus, ſingulis de vaſe, quod habebat: fauum mellis propinabat. Illa autem perſona, quæ hæc in viſu conſpexit, etiam acceſſit, & illa dedit ei buccellam panis de illo melle perfuſam, quam dum manibus teneret, miro modo buccella illa ſimul cum melle excreſcere cœpit ita, vt buccella in panem integrum excreſceret, & fauus ille panem intus ac foris penetrans, etiã per manus ſe tenentis ĩ tanta vbertate diſtillabat: vt ſinum eius, & deinde terram ipſam effluens irroraret. Neq; hoc ſilendum puto, quod quùm hic liber magna cautela ſeruaretur à perſonis ipsũ ſcribentibus, die quadam vna ex eis volens in eo legere, quùm vix aperuiſſet librum: alia quædam

Matth. 25

perſona in admirationis vehementia dixit ad eã. Eya quid boni habetur in hoc libro? Quia primò vt eum aſpexi, cor meum tam affectuoſam ſenſit commotionem: quod omnia membra mea pertranſiuit. Meritò ergo hic liber nomen ſpiritualis gratiæ à deo accepit, qui in figura tam dulcis liquoris præmonſtratus eſt: & qui corda intuentiũ tam facilè, ac tam ſuauiter penetrauit. Nihil .n. dulcius conſolatione diuinæ gratiæ, nec aliquid animam ſic afficit & illuminat: quemadmodũ hæc gratia, & ad omne opus bonũ animat et cõfortat.

Quod opera charitatis ab omni peccato veniali mundat. Cap. XIII.

QVũm hæc perſona indignam ſe his donis dixiſſet ac reputaſſet, duæ perſonæ eius familiares hoc pro ea ſupplere cupientes, tot laudis carmina deo perſolui pro ea fecerunt: per antiphonam. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſecula, quot dies vixerat in terris. Has laudes dum ipſa efferret deo in unione amoris, quo ex corde ipſius omnia dona profluxerunt: uidit de corde dei riuum magnum & puriſſimum cum impetu effluere, & animas earum, quæ hæc ex charitate pro ea legerant: ab omni macula emundare. Et ait dominus. Sic omnia charitatis opera homi

nem ab omni peccato veniali purificant, ſed mortale peccatum, quia more picis, animæ fortiter inhæret: confeſſione & maiori contritione aboleri oportet. Omnia etiã charitatis opera in corde meo velut theſaurum mihi ſpecialiter dilectum reſeruo, donec ille, qui ea operatus eſt, ad me veniat, & tunc ad cumulum præmij ac gloriæ eius, ea illi reddo. Nec hoc familiari eius ſuffecit, quæ ipſam in Chriſto valde diligebat, ſed negligentiam eius pro ea cupiens ad ſummum compleri, quia altius non poterat, tot miſſas de ſanctiſſima trinitate, quot annorum erat; religioſis fratribus & deuotis ſacerdotibus celebrari pro ea fecit.

Qualiter homo pro hac perſona deo gratias agat Cap. XIIII.

QVædam deo deuota pro hac perſona gratias agens, audiuit dominũ dicentem. Dilectrix mea, pro qua ſæpius gratias agis, inter alia virtutum ſuarum inſignia, in his quinq; mihi præcipuè complacuit. Et primò, in perfecta ſui ipſius abrenunciatione. Secundò, in voluntatis ſuæ cum mea, perfecta vnione, ſemper enim voluit meam voluntatem perfici, & omnia opera mea, ac iudicia illi placebant. Tertiò, quod erat valde compatiens, auxilium & ſolamen miro affectu impen

dens tribulatis. Quartò, quod proximum ſuum ſicut, ſeipſam diligebat, nunq̃; enim in tota vita ſua proximo intulit malum. Quintò, quod pacificum & tranquillum cor habuit, nunq̃; .n. in cor de ſuo aliquid immorari permiſit: quod meam in ſe requiem turbare poſſet. Omnes ergo, qui mei cauſa eam diligunt, dulcius afflabo: ac ſuauiori familiaritate ad me trahã. Omnibus etiã, qui laudes et gratias pro ea mihi offerũt, mihiq; cõgratulando ſauẽt, quod talẽ elegerim, ac perfecerim; quicquid in ea illis maximè complacuit: id etiam dabo illis. Inſuper q̃uod mihi in ea magis complacuit: et illis ſuper addam. In extremis quoq; eius, quùm eam aſſumpturus venero, qui tunc cum deuotione et deſyderio corda ſua ad gratiam meam præparabunt, agentes gratias pro impenſis ei beneficijs, ſecundum quod deſyderant: dabo eis. Tunc illa dominum requiſiuit: dicens. Et quibus domine mi modis tibi laudes et gratias pro ea offerre debemus? Reſpondit. Gratias mihi agite pro omnibus, quæ unq̃; in ea perfeci, bonis, & adhuc facio, et in æternum ſum facturus, ſpecialiter pro excellẽti delectatione, & amœna requie, quam habui in ea, pro delicioſa influxione, qua in eam declinabã, pro ſancta operatione ſpiritus mei in ea, et pro perfecta fruitione, qua delicijs meis ĩ ea perfruebar.

De laudabili conuerſatione huius beatæ Virginis Mechthildis. Cap. XV.

SVfficere iam volumus, nec vlterius iam procedere, licet multa adhuc poſſemus addere, ne ipſa prolixitate aut multiplicitate faſtidium legentibus generetur. Tot etiam prætermiſimus, quod hæc quæ ſcripta ſunt: pauca reſpectu eorum, quæ omiſimus, videantur. Hæc autem ad dei ſolius gloriam, & proximorum vtilitatem protulimus, quia indignum putauimus, ſi utilia non tantum nobis, ſed adhuc futuris ſilentio tegerentur. Sed quia ipſius venerandæ virginis laudabilem conuerſationem ac vere mirabilem minus deſcripſimus, libet ſaltem in fine eam aliqualiter comendare, ut et mores eius imitari cupientibus: formã relinquamus. Venerabilis ſiquidem hæc perſona virginitatem, quam à ſeptimo anno deo vouerat, & cordis munditiã tanta diligentia cuſtodiebat: vt ab omni peccato ab infantia ſic caueret, vt etiã duo confeſſores eius teſtarentur nunq̃; tantæ innocentiæ, ac tam mundi cordis homines ſe expertos, ſicut iſtam & ſororem ſuam Dominam Abbatiſſam. Vnde quùm integram confeſſionem feciſſet, maximum eius peccatum, quod in pueritia ſe dolenter memorabat feciſſe, hoc erat: quod vice quadam dixit ſe furem vidiſſe in curia, quùm non vi

diſſet, nec aliud mendacium ſcienter et ſponte ſua ſe recoluit perpetraſſe. Ergo non immeritò virginibus iam agnum ſequentibus, cōparabitur, quia & ipſa agnum quocunq; ierit, perfectiſſimè ſequitur, quippe cui nec defuit humilitas, quæ ipsā ad eius gloriæ celſitudinem ſubleuet, nec virginalis caſtitas, per quam ei familiariſſimè ac dulciſſimè ſocietur. Religioſis patribus non incongruè ſimulabitur, quæ pro Chriſti amore, mundum cum ſuo deſpexit flore, tantamq́; paupertatem amplexata eſt: vt etiā neceſſaria habere nollet. Coacta enim per obedientiam, vnum tantum aliqualis æſtimationis peplum habuit, cætera viliſſimi panniculi erant, & tunicas valde conſciſſas & vndiq; reparatas portabat, quùm tamen quicquid voluiſſet: ſufficienter habere potuiſſet. Cætera omnia ad religionem pertinentia perfectiſſimè habuit, ſcilicet propriæ voluntatis abdicationem, ſui ipſius deiectionem, obedientiæ promptitudinem, orationis et deuotionis ſtudium, lachrymarū vbertatē, ſedulæ contemplationis fruitionē. Semetipſam intantum abnegauerat, ſuiq́; oblita, in Chriſto ſic abſorpta erat: vt (ſicut de ſancto Bernardo legitur) ſenſibus exterioribus parum vteretur. Vnde ſæpe putrida neſciens comedebat, donec à proximè ſedentibus, ac odorantibus eſt compertū.

Simi-

Similiter aliquãdo carnes neſciens comedebat, do nec per riſum aliorum ad ſe rediens, quid fecerit: recognouit. Doctrinam in tanta abundantia effun debat, ei ſimilis in noſtro cœnobio non ſurrexit, nec (vt heu timemus) aliquando ſurrectura ſit. Vbiq; .n. ſorores circa eam velut prædicatorem, verbum dei auditura congregabantur. Omnium refugium & conſolatrix erat, & ſingulari dono hanc gratiam habebat: vt homines ſecreta cordis ſui ipſi fiducialiter aperirent, & complures à ſuis grauaminibus per eam erepti, non ſolũ intra clauſtrum, ſed etiam deforis & delonge venientes re ligioſi ac ſeculares, nunq; ab homine tantum conſo lationis, ſicut ab iſta ſe inueniſſe dicebant. Tantas orationes dictauit & docuit, quod ſi inſimul ſcriberentur: pſalterij excederent quantitatem. Doloribus & infirmitatibus tam continuè vexa batur: vt non immeritò martyribus ſocietur. In ſuper multis caſtigationibus pro peccatoribus ſemetipſam affligebat. Nã vice quadam ante qua drageſimam, quum populum cantibus laſciuientẽ audiſſet, zelo dei, ac compaſſionis affectu nimiùm inardeſcens, vt ſaltem aliquã deo faceret emen dationem, teſtas vitrorum et alia fragmenta acu ta in lecto ſuo compoſuit, & in eis ſe proijciens tã diu volutabatur: donec cute confracta, & tota

ſauciata, ſic ſanguine profflueret, vt præ dolore nec ſedere nec iacere valeret. Circa Chriſti paſſionem tam miro ferebatur affectu, vt raro ſine lachrimis de ipſa loqui poſſet. Et ſæpius quùm de Chriſti paſſione, ſiue amore loqueretur, tanto feruore ſuccendebatur: quod facies eius & manus totæ igneæ apparerent. Hæc etiam deuota Chriſti diſcipula tam familiariter deo vnita erat, & omnem voluntatem ſuam ſic deo obtulerat: quod (ſicut ipſa retulit) poſtquàm profeſsionem fecit, in nulla re aliud volebat: quàm quod deus fieri diſponebat. Mira ſuauitate in verbis euangelij paſcebatur, ac tanta dulcedine afficiebatur: vt ſæpius, quùm illud in choro legeret, in tantam iubilationem verteretur, quòd finire non poſſet, & quandoq; penè exanimis reddebatur. Et tam feruenter illud legebat continue, vt audientes in deuotionem excitaret. Similiter dum in choro cantabat, ac ſi tota arderet, totis viribus deo intendebat, modò expaſsis manibus, modò in altum eleuatis, quandoq; velut in extaſim verſa, etiam trahentibus ac mouentibus ipſam, non ſentiebat: aut vix ad ſe redibat. Spiritu etiam prophetico clarens, quandoq; hominibus quæ eis futura erãt, certiſsime prædicebat. Iam verò quid amplius dicemus? Nunquid non & angelicis ſpiritibus va-

lebit æquari, quibus etiam in terris tam amicíſſimo fœdere copulata erat, vt eorum præſentia rarò careret? Angelorum ſiquidem officium, quorum propriũ eſt miniſtrare, bene congruit ei, quæ officioſa charitate & dulci ſocietate, miſeris affectum miniſtrauit compaſsionis, peccatoribus, ſubſidium orationis, negligentibus, admonitionẽ correctionis, ignorantibus, verbum inſtructionis, de infirmis maxima illi cura erat ita, quod nunq; adeò occupata erat, quin eas quotidie ſingulas viſitaret, & ſi quid vellent, ſollicite interrogaret, proprijs etiam manibus eis miniſtrabat, tam ad recreandum q̃; ad pauſandum. Et in ſenectute ac infirmitate ſua ad infirmas ſe portari faciebat, & aliquando non potens loqui, geſtibus ac nutibus tam fideliſsimum eis prætendebat compaſsionis affectum: vt plurimas ad fletum cõmouerent. Ad quælibet vilia opera, & maxime ad cõmunes labores ſororibus ſe frequẽter ſociabat, quandoq; prima, imò ſola laborabat, quouſq; ſubditas induxit; vel magis exemplo, aut blandis verbis ad ſe iuuãdum allexit. Ipſa etiam more Archangelorum, pro multis ad deum interuẽtrix fuit, et eorum pia apud ipſum adiutrix: Virtutibus quoq; aſsimilabitur, quia virtutum omnium præclarum fuit exemplar. Inter poteſtates etiam non immeritò

reputabitur, cui omnipotens maieſtas ſe toties in poteſtatem dedit, & quæ ſuper dæmones tam potens effecta eſt, quod ipſi cuidam alteri perſonæ conqueſti ſunt, dicentes, quod eius meritis & interceſſione quotidie animæ fidelium ab eorum poteſtate tollerentur. Cum principatibus etiam iurè obtinet locum, quæ velut princeps militiæ cum ſorore ſua Domina Abbatiſſa, omnia monaſterij tā interiora q; exteriora, ſapientiſsimè & ordinatiſſimè gubernabat. Dominationibus inſuper non incongrue ſociatur, quæ domina affectuū et actuum ſuorū fuiſſe probatur. Dominabatur ſiquidem cordi ſuo, omni cuſtodia illud ſeruādo. Dominabatur operibus ſuis, ipſa propter deum exercendo. Ipſa etiam quietiſsimus et delicioſiſsimus thronus dei, per ſereniſsimam & mundiſsimam mentem ſuam dici poteſt, quæ dei gratia plena, omnibus á ſe quærentibus qualiter viuere, & ſe regere deberent, quaſi ex ore dei ī ea ſedentis, quid facere deberēt, indicabat. Cherubim quoque ſimilabitur, quæ toties ipſi fonti ſapientiæ immerſa, & luminis abyſſum penetrans, velut ſol refulgens in templo dei, ſcientia & doctrina omnes ad ſe venientes illuminauit. Sicut enim ipſa nobis retulit, ſuper pſalmos & quicquid cantabat, ſiue legebat, ſæpe ſpecialem intellectum dominus illi dabat, et quæ an-

prouer. 4

tea non cogitauerat, intellexit. Seraphim ſimiliter cōuenientiſſimè ac digniſſimè hæc virgo angelica comparabitur, quæ ipſi amori (qui deus eſt) toties ĭmediatè vnita, eiusq; igneo cordi tā amantiſſimè impreſſa, vnus cum eo ignitus ſpiritus eſt effecta. Valde namq; gratioſa erat in loquēdo de deo, maxime autē de charitate tam feruenter loquebatur: vt audiētes ſæpe accenderet. Vnde cōgrue de ipſa dici poteſt, quod verba eius cū verbis Heliæ, quaſi facula ardebāt: vnde feruētiſſima fuit ĭ charitate et deuotione ad deū, et sūma ĭ ſollicitudine et pietate ad proximū; prima ĭ humilitate et afflictione ad ſeipsā. Tranquilliſſimæ etiā mētis extitit, et tā liberū et exoccupatū cor à curis tempore orationis habebat; vt frequētiſſime ab oratione ad feneſtrā, ſiue ad alia negocia vocata, ſtatī vt rediit, eandē deuotionis puritatē, quā in oratione habuerat, reinuenit. In infirmitate ſua ita mitis et benigna erat, et tā hylaris et patiens ad omnia; ut omnes ad ſe uenientes et ſibi miniſtrantes lætas redderet ac iucundas. Et omnes angeli nō ceſſabāt pro ipſius patientia dominū collaudare. Nunq; etiā ſic male ualuit quī fieret alacrior, ac ſi nihil pateretur. Ocioſa nunq; ĭueniebatur, aut. n. manibus utiliter laborabat, aut orabat, aut docebat, aut legebat. Hæc pauca de laude cōuerſationis eius deſcripſimus, dignū iu- Eccle. 48

dicantes, eã coæquari omnibus ſanctis, quibus etiã
in terris tã familiariſſime ſociata erat: ut eorũ præ
ſentia frequẽtiſſime, ſpecialiter autẽ in eorũ feſtis,
frueretur. Sed nulli abſurdũ videatur, ſi noſtri tẽ
1.Cor. 10 poris, in quo fines ſeculorũ, imò fæces omniũ vitio
rũ, ac tædia omniũ bonorũ deuenerũt, vnũ omnibus
coequauimus ſanctis, quum beatus Gregorius ſu-
per Ezechielẽ dicat, quod deus de die ĩ diẽ maiori
homines cognitione illuſtrare, ſecreta ſua illis ãpli
us reuelare dignetur, et proceſſu temporis ſpiritua
liũ ſcientiã augeri, inducens authoritatẽ Danielis
Deniel. 12 prophetæ, de ultimo tẽpore ſic dicẽtis. Pertrãſibũt
plurimi: et multiplex erit ſcientia. Dicit etiã ſic.
Moyſes pluſq; Abrahã. Prophetæ pluſq; Moy
ſes. Apoſtoli pluſq; prophetæ cognouerunt. Sicut
Pſ. 118 Dauid de ſe teſtatur: dicens. Super omnes docẽtes
me, et ſuper ſenes intellexi. Legitur etiã ĩ vitis pa
trũ, quod ſancti patres de vltima generatione pro
phetabãt: dicẽtes. Homines tũc tẽporis fore negli
gentes ſed tamẽ qui inter eos perfecti fuerint: ſu-
per nos & patres noſtros meliores erunt.

Spiritualis gratiæ vel reuelationum bea
tæ Mecthildis virginis quinti
& vltimi libri finis.

Deo gratias.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA